


AB

11

47 B,20

~~Gotte~~
10 Zu



EPISTO

LA PAVLI AD CO-
lossenses cum Comen-
tarijs PHILIP. MEL.
que iam nouissime ab
authore ipso recogni-
ta sunt ac locuple-
tata, idq; quàm
plurimis in
locis.

Haganoæ. Anno. M. D.
XXVIII. Mense
Augusto.

mg

SCHOLIA PHIL. MEL.
ARGV MEN
 TVM EPISTOLAE.



Icut in alijs scriptis princi-
 pio constituui solet, quod sit
 argumentū operis. Ita in Pau-
 lina Epistolis, primum mo-
 nendus est lector, qua de re di-
 catur, qui sit cuiusq; Epistolæ
 status, quod ut Græci dicunt

Epistola hu-
 ius status.

ὑποκείμενον, ut quid petere & expectare ex toto scri-
 pto debeat, sciat. Nec utiliter legeris, si tantū mutila-
 tas sententias inde excerpseris, totius orationis series
 cognoscenda est, ut inde colligatur certa sententiā, quæ
 munire conscientiam & docere possit, quod qui nō fa-
 ciunt, ij sæpe in uniuersum aberrant à totius scripti
 scopo ac proposito. Id in hac Epistola accidere possit
 incauto, ut Paulum nihil docere existimet, nisi cere-
 monias Mosaiicas esse antiquatas, si hanc tantū senten-
 tiolā excerpatur, Nemo iudicet uos in parte diei festi &
 cæc. Verū, id est discerpere scripturas, non enarrare.
 Tota epistola cognoscenda est, & inter se partes oēs
 conferendæ, & quō inter se consentiant uidendum.

Argumentum
 p[ro]p[ri]e

Est itaq; argumentū huius epistolæ & status, quid
 sit Euangelium. Nouam quandā doctrinā orbi terrarū
 pollicentur



AB47

920

116

IN EPIST. AD COLOS.

pollicentur Apostoli, eā hic definit, nec definit breuiter sed copiose discernit à iustitia Christiana istuiā humanā, collectā nostra industria, nostris uiribus, uel ex præceptis hoīm, uel ex lege Mosaica, seu Decalogo.

Postremo tradit quædam præcepta de moribus. Nā ita solent Apostoli primum docere Euangelium & iustificationem, postea tradunt præcepta morum. Mundus aut tantum præcepta morum tradit, & iustum eū esse cōstituit, qui illa in speciem exprimit & facit. Sed Paulus docet iustificationē nobis non propter ulla nostra merita contingere, sed per fidem, si credamus nobis propter Christum gratis condonata esse peccata, sicut & Esaias scripsit, Notitia eius iustificabit multos. Ea uero maxima consolatio est conscientijs, sentire quod gratis donet nobis Deus remissionem peccatorum, & gratis iustificet nos. Quādo enim incipit Deus iudicare corda ac terrere, & iram aduersus peccatum ostendere, nulla opera nostra possunt conscientiam pacificare, aut opponi iræ ac iudicio Dei. Sicut & Propheta testatur, cum inquit, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens. Necesse esset igitur desperare de salute, nisi Deus ostendisset nobis Christum, per quem pollicetur se uelle ignoscere, ac gratis iustificare. Est ergo hic portus & receptus ad fluctuā conscientie, scire quod ita iustificemur corā Deo, ita placeamus Deum, si con-

Iustificatio non nostris meritis, sed per fidē contingit.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Fides sine
pœnitentia
nihil est.

fidamus quòd remissa sint peccata per Christum. Fidē uero ita concipiunt animi, si ante perterrefacti agnouerint sua peccata. Neesse est enim timorem præcedere fidem, seu pœnitentiam præcedere remissionem peccatorū, sicut Christus Lucæ ul. ait, Prædicātes pœnitentiam & remissionem peccatorū. Nunc multi fidem, & remissionem peccatorum docent, pœnitentiā non docent. At nihil est fides sine pœnitentia, nisi inane somnium. Sic enim scripsit Esaias cap. 66. Vbi habitabit Dominus? in spiritu contrito & humiliato.

Cum autem cor concipit fidē per spiritum sanctum iam renatum est, induitq; nouos adfectus, humilitatem castitatem, charitatem, & parit bona opera.

CAPVT I.

PAulus Apostolus IESV Christi, per uoluntatem Dei, & Timotheus frater, sanctis qui sunt Colossis, & fidelibus fratribus in Christo. Gratia uobis & pax a Deo patre nostro, & Domino IESV Christo.

In Epigrapha seu inscriptione solet Paulus officium suum, seu functionem prædicare, ut sciamus Verbum Dei esse, id quod ipse docet. Non secus atq; Moses & ceteri

IN EPIST. AD COLOS.

ceteri Prophetæ præfantur, Loculus est Dominus, Hæc dixit Dominus, Os Domini locutum est, & similia. Sic Paulus significat se non humana electione, factum esse Apostolum, sed diuina uoce uocatū esse ad hanc functionem. Proinde, quemadmodū uoluit Deus ut Mosi crederent Israëlitæ, ita uult Paulo nos credere, nouam quandam doctrinā, & dissimilem legis Moisaicæ in mundū spargenti. Ideo sicut Moses miraculis testatus est, se diuinitus missum fuisse, ita & Paulū miracula facta testabantur à Deo missum esse. Est igitur de Paulo seruanda regula, quæ est in Euangelio, Qui uos audierit, me audiet. Tutum est Pauli doctrinæ credere, non aliter atq; manifestæ de coelo uoci Dei.

Paulo ut Euangelio credendum.

Colossas numerat Strabo inter oppida Phrygiæ, non illius ubi Ilium fuit, sed eius quam magnā uocant. Strabo eius partem facit παρόριον φρυγιῶν, ubi dicit maximas urbes esse Apameam & Laodiceam, & circa has sita esse oppida Aphrodisiada, Colossas, Themisonium. Horum oppidorū situs cerni in Ptolemæi tabulis potest. Paulus autem hic Laodiceæ meminit. Ridiculum est, quod quidā Colossenses crediderunt Rhodios esse, quia ibi magna mole Colossus fuerit.

GRATIA ET PAX.

Gratia significat simpliciter remissionē peccatorum, seu fauorem Dei. Pax aut significat non tantum conscientie tranquillitatem, seu gaudium, quomodo

Gratia

Pax.

SCHOLIA PHIL. MEL.

usurpat Paulus Ro. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deū, sed significat etiam generaliter res secundas, hebraica consuetudine. Optat igitur Paulus gratiam & dona Spiritus sancti, quæ comitantur remissionem peccatorum, fidem, gaudiū mentis, & similia bona. Vbi discere debemus, cum optet Paulus hæc diuinitus illis cōtingere, quod nostra industria, aut nostris uiribus non possint comparari, pax conscientiæ erga Deum, fiducia erga Deum, patientia in rebus aduersis, uera humilitas, castitas &c. Itaq; nos huiusmodi bona postulare & expectare diuinitus debemus, iuxta illud Iaco. 1. Si quis uestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus adfluenter.

A DEO PATRE ET DOMINO IESU.

Ideo coniungit patrem & filium, siue ut significet & filium Deum esse, qui donet gratiam & pacem, Nam de se quoq; in Ioanne inquit Christus. Pacem do uobis. Item, Spiritus sanctus de meo accipiet &c. Siue quod propter Christum ista donentur nobis, promisit enim Deus se daturum nobis propter filium, sicut & Christus ait, Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, petite & accipietis.

Proinde, hic breuis uersus non tantum docet nos, omnia bona diuinitus postulanda, et expectanda esse, sed etiam erigit fidem, & ad petendum hortatur, cū Christi mentionem facit. Nam per illum significat
omnis

IN EPIST. AD COLOS.

omnis generis bona nobis promissa esse nec falli spem nostram, si modo hunc respiciamus, & propter hunc petamus à patre omnia quibus opus est.

GRATIAS AGIMVS DEO.

Videar fortassis ineptus, si Pauli sermonem ad Rhetorica præcepta exigam. Ego tamē sic existimo intelligi melius posse orationem Paulinam, si series & dispositio omnium partium consideretur. Neq; enim omnino nullo ordine, aut nulla ratione scripsit Paulus, id quod res ipsa ostēdit. Habet suos locos, quibus præparat animos, habet suam quandā docendi & rarrandi rationem, quam in enarrando non animaduertere, quid aliud est, quàm quod græci dicunt in tenebris saltare, seu ut Chrysostomus ait *νυκτομαχεῖν*.

Sunt itaq; duo exordij loci, gratulatio & imprecatio. Estq; hæc ferè sententiæ summa, Gratulor uobis contigisse cognitionem Euangelij, & precor, ut Deus augeat uobis cognitionem uoluntatis suæ, & confirmet uos, ut recte uiuere, & persecutiones perferre Spiritu sancto corroborati, possitis.

Prior locus exordij, gratulatio uidelicet, nihil habet obscuri, tantum obseruandum est, Paulum esse distributione usum, nam cum posset dicere, audio prædicari uestram pietatem, ipse partitus est nomen totius, *κατὰ μερισμὸν*, audio prædicari fidem uestram, & caritatem & spem.

SCHOLIA PHIL. MEL

Benefacien- Sed hoc uidetur absurdum, quod de caritate dicit,
dum homini eos benefacere sanctis propter sp̄e premij seu merce-
bus propter dis, cum benefacere propter Christum, non sui cōmo-
Christū, non di caussa, debebant. Nam Matth. 6. inquit Christus de
premiij caus- Phariseis, qui sui commodi caussa eleemosynas lar-
sa. giuntur, Amen dico uobis, receperunt mercedem suā.
 Porrò multa similia exempla extant in scripturis, Ia-
 cob ait Gene. 28. Si Dominus dederit mihi panem ad-
 uescendum, & uestimentum ad induendum &c. erit
 mihi Dominus in Deum, quasi uero colat Deum, tan-
 tum mercedis seu uentris caussa.

De hoc loco scio subtiliter disputari solere. Nos ue-
 ro explicabimus eum, quàm poterimus, crassissime.
 Res est planè spiritualis iudicij, & exercitatisimarū
 mētium, intelligere quid sit bona opera facere simpli-
 citer propter uoluntatem Dei, nec quærere mercedē.
 Nam caro ita est mercenaria, ut etiam sancti non pos-
 sint abijcere amorem mercedis. Itaq; doctrina legis
 est ac pædagogia, inuitare premijs, ac pœnis deterre-
 re. Sed in sanctis paulatim mortificatur prauus adse-
 ctus sua quærens. Et obtemperant sancti uolūtati Dei
 ita ut etiam si premia nulla daturus esset, cupiant ob-
 temperare. Itaq; propter uoluntatem Dei libenter pa-
 tiuntur crucem, mortem, & omnis generis adflictio-
 nes. Quid igitur profunt promissiones? quid oportuit
 premiij mētione facere, si nō debet acueri ad bene ope-
 randum

IN EPIST. AD COLOS.

randum? Respondeo, & in pœnis, & in premijs sancti uoluntatem Dei intuentur, sicut in signis. Pœna significat iram, premia significant gratiam & misericordiam. Itaq; terrentur sancti mentione pœnarum, non quia omnia dura libenter paterentur, modo haberent Deum propitium: sed quia intelligunt in illis pœnis, Deum irasci, ideo reformidant pœnas. Et rursus premia excitant fidem, quia cernuntur in illis misericordia & gratia Dei. Proinde non premia, sed gratiã Dei amplectuntur, sancti cum premia querunt. Iacob si sciat se habere Deum propitium, facile possit aqua & pane ac ueste carere. Paulus si sciat se habere Deum propitium, facile possit in inferos abijci. Ita & Hiob facile sibi patiat eripi omnia bona, nam amissis fortunis, uidemus quantam adhuc patientiam præstet. Benedixit Deo, fatetur illas opes Dei bona fuisse, Dominus dedit, inquit, Dominus abstulit. Sed postremo queritur, cum de gratia Dei dubitare incipit, cum uidetur sibi à Deo abiectus esse.

Adhæc, premia ostendunt magnitudinem bonitatis Dei. Quia enim significat Deus, se non solum fauere credentibus, sed etiam omnis generis bona pollicetur, multo magis acceditur fides, magnitudinem bonitatis ex promissionibus æstimans.

Postremo ex promissionibus etiam discunt sancti, omnia bona, Dei dona atq; opera esse. Ideo enim pro

SCHOLIA PHIL. MEL.

mittit Deus, ut sciant unde expectare ac postulare omnia quibus opus est, debeant.

Spes igitur, ut ad propositum redeam, intuetur uoluntatem Dei, expectet bona, non propter nostra merita, sed propter promissiones Dei, ac premia quaerit, quia gratiam ac fauorem Dei in premijs cernit.

PROPTEREA ET NOS EX QVO & C.

Precatio Apostoli.

Precatio est, qua imprecatur Colossensibus, primū ut contingat eis cognitio uberrima, seu firmissima uoluntatis Dei. Secundo, ut bonos fructus pariant. Tertio, ut perferant crucem, & in cruce addiscant praesentiam & beneuolentiam dei erga se.

Quid sit nosse deum.

Cognoscere uoluntatem Dei, est serio & reuera sentire, quod Deus irascatur peccantibus, & perhorrescere ac timere iram Dei. Rursus etiam serio & reuera sentire & credere, quod Deus propter Christū condonet peccata, receptos in gratiā defendat, gubernet suo spiritu, seruet, uelit adfligi, & carnem mortificare, sed tamen in cruce consoletur et iuuat. Quod autem hoc sit nosse Deum, adparet ex 9 Hierem, In hoc gloriatur uir nosse me, quod sim dominus faciens misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Et ex Psalmo, Initium sapientiae timor domini. Et 1. Ioan. 5. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se hoc est, nouit Deum certo.

Vt imo

IN EPIST. AD COLOS.

VT IMPLEAMINI AGNITIONE VO. &c.

Quod ait, ut impleamini agnitione uoluntatis eius sic est accipiendū, ut firma & certa cognitio sit, quia caro non habet firmam cognitionem, quòd Deus respiciat nos, & uel puniat uel ignoscat, nec ullo modo illam immensam uim & magnitudinē, aut iræ aut bonitatis cōcipere potest, ideo & timore uacat, & ruit in peccata. Et quia fides caret, nec credit Deum ignoscere aut iuuare, ruit postea in desperationē. Cum hac impietate semper est luctādum, ideo precatur, ut istis firma cognitio contingat, ut serio & uere cor sentiat cum iram Dei, tum gratiam, & pertimescat & exhilaretur: ut si naufragus sciret certo, se posse incolumē enatare, nec dubitaret de uita, esset hilari animo. Is enim ideo ocioso animo est, quia firmam quandam rationem, & certam uiam emergendi, & quæ fallere non possit animaduertit. Ita hic optat nobis, ut firmam sententiam teneamus, q̄ Deus adsit, & uelit nostri miseri, & nos seruare. Sic usus est uerbo implendi ad Ro. 4. Abraham confirmatus est fide, dans gloriam Deo, & certo tenens firmam &c.

IN OMNI SAPIENTIA ET PRV. &c.

Est τὰ πνευματικά quia cognitio uoluntatis Dei est ipsa spiritualis sapientia. Caro enim ignorat uoluntatem Dei, quanquam amplificandi causa adiecit, ut mo

SCHOLIA PHIL. MEL.

neat non solum sic cognoscendum esse Deum, ut dixi
 sed etiam cauendum, ne per falsam doctrinam sinant
 sibi hanc cognitionem eripi, ut uerbi causa. Amittunt
 hanc cognitionem & fidem simpliciter, qui nesciunt,
 sola fide nos iustificari, qui suis satisfactionibus uolunt
 iram Dei placare. Item adiecit propter crucem. Est
 enim sapientia uere spiritualis & arcana, sic cognosce
 re Deum, quod tunc seruet & custodiat nos propter
 Christum, cum sinit nos adfligi, cum non iuuat nos in
 speciem, sicut David ait. Multi dicunt, quis ostendet
 nobis bonum? ibi sapientia spiritualis est, credere &
 expectare opem à Deo, sicut mulier Syrophoenissa
 expectat &c. & in Psal. est, A custodia matutina usq;
 ad noctem, & Rom. 12. Vt experiamini quæ sit uolun
 tas Dei.

OMNI ROBORE CORROBORATI &c.

Id est, dum pugnatis cum carne uestra, cum mun
 do, cum Diabolo, sentietis auxilium diuinum, & sen
 tietis quod cupiat Deus uos iuuare, id est autem cogno
 scere, & crescere in agnitione Dei.

AD OMNEM TOLERANTIAM AC
 PATIENTIAM CVM GAUDIO &c.

Ad afflictiones pertinet, quod ait, crescentes in co
 gnitione Dei &c. Nam in afflictione iubet nos sentire
 quod Deo placeat, ut adfligamur. Oportet enim nos
 fieri similes imaginis filij eius.

In afflictioni
 bus cogno=
 scitur Deus.

Secunda

IN EPIST. AD COLOS.

Secundo, iubet nos expectare à Deo opem, iuxta illud, Vniuersi qui te expectant, non confundemur.

Tertio ait, confortati robore gloriae Dei, id est, Deus confortat per spiritum sanctum credentes in afflictione, & efficit pacatas conscientias, & gaudium in Deo, sicut & Paulus ait, Spiritus interpellat pro nobis. Neq; enim Liberū Arbitrium seu ratio potest vincere metum mortis, aut inferorum.

Quarto exigit patientiam, nam utrunq; uocabulum, tolerantia & longanimitas, significant patientiam, sed addit cū gaudio, id est, cor non irascatur Deo, estq; hæc particula in primis obseruāda. Hæc in aduersis rebus uberrima consolatio est & efficacissima, scire quòd exigat Deus patientiam, & quidem cum gaudio coniunctam. Hoc non humana ratio deprehendit, hoc non ascendit in cor hominis, ut Prophetæ uerbis utar, sed Deus docuit. Nostra enim ratio in rebus aduersis ideo perturbatur, quia cogitat nos ideo adfligi, quia Deus aut oderit nos, aut non respiciat, nec uelit iuuare. Has falsas opiniones eximit nobis Deus, & docet nos adfligi, nō quia oderit nos, sed quia uelit nos aut emendari aut emendatos durare, iuxta illud, Filiū quem diligit, corripit. Item, nolo mortem peccatoris. Item, conclusit omnia sub peccatum, nō ut omnes perderet, sed ut omnium misereretur.

Secundo postulat Deus, ut in afflictione credas

Ad afflictiones
quæ à Deo
immittantur.

SCHOLIA PHIL. MEL.

mus eum nobis opem laturum esse, & iubet à se petere auxilium, iuxta illud, Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam. Ea res gaudium parit in animis, scire quod in aduersis rebus Deus uelit nos iuuare & seruare, modo postulemus ab ipso auxilium, Paulus ad Timotheum utrunq; complexus est duobus uerbis, docens quomodo in tribulatione adfecti esse debeamus. Orate, inquit, sine ira, & sine hesitatione, id est, prestate patientiam nec irascimini deo, nec putate uos reiectos esse à Deo cū adfligi uos finit, & credite quòd sit opitulaturus.

GRATIAS AGENTES PATRI.

Euangelium quid. Hic orditur narrationem, in qua desinit Euangelium, & cum ante precatus sit, ut uberior cognitio Euangelij illis contingat, subiicit quid sit Euangelium. Est autem Euangelium sermo, quo beneficia quæ per Christum donata sunt, recitantur, ea beneficia commemorat hoc loco Paulus rhetorica congerie, & incepta est narratio ab affectu, Agite gratias Deo, q̄ fecerit uos idoneos ad partem hereditatis sanctorum, id est, ad consequenda Euangelij beneficia.

Euangelij beneficia. Sunt autem hæc, quæ per congeriẽ postea recitat, esse in luce, esse ereptum de potestate tenebrarũ, esse translatum in regnum filij dilecti, redemptum esse sanguine Christi, habere remissionem peccatorum, habere

IN EPIST. AD COLOS.

habere pacem cum Deo, esse sanctificatum. Est autem obiter inserta personæ Christi descriptio.

QVI ERIPVIT NOS DE POTESTATE &c.

Esse in tenebris, est non nosse Deum, hoc est, non sentire seu statuere, quod uere irascatur peccantibus, & q̄ cōdonet peccata. Deinde, nec scire quid sit peccatum, nam ratio non cernit hæc peccata, cōcupiscen-
tiam cordis, ignorationem Dei, uacare timore Dei, uacare fide, sed uidet tanū hæc peccata exteriora, cædē furtum, adulterium, & similia. Ideo dicit Christus apud Iohannem, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, id est, arguet mundum, quod nesciat quid sit peccatum, & ostendet peccatum. Tertio nescit ratio, quæ sit iustitia coram Deo, somniat enim placari Deū nostris operibus, sicut apud Ioannem, Arguet mundum de iustitia. Nam Euangelium ostendit aliam quamdam iustitiam, qua coram Deo iustificamur, quam iustitiam operum. Docet enim iustitiam fidei, scilicet credere q̄ propter Christum peccata nobis remittuntur.

Ratio nescit
quæ sit iusti-
tia corā Deo

Quarto, præter hæc dicit Paulus, nō simpliciter esse è tenebris ereptos, sed ex potestate tenebrarum. Nam impios impellit Satan ad omnis generis flagitia perpetranda, nec iam ratio satis firma est, aduersus exteriora peccata cauenda, sed rapitur & præcipitatur à diabolo. Ad Ephesios. 2. ait Paulus, Diabolum efficacem

SCHOLIA PHIL. MEL.

esse in incredulis. Est enim potestas tenebrarum, impellere ad peccandum, & detinere captiuos & obnoxios aeternae morti.

QVI EST IMAGO DEI INVISIBILIS.

Personae Christi descriptio. Inseritur hic προσωπογραφία & personae Christi descriptio, quae docet Christum uere & natura, Deum & hominem esse.

Adpellatur autem imago patris, & in Epistola ad Heb. uocatur character substantiae patris, quia, si licet uti aliqua similitudine, sic nascitur à patre, sicut à sole lumen, & sicut scripserunt ueteres, tanquam lumen de lumine. Ideo adpellatur etiam in Epistola ad Hebræos ἀπαύγασμα. Est item imago, quia uerbum est, ut enim uerba apud nos simulachra rerum sunt, sic filius est uera effigies patris, è mente patris nata. Et quia in terris filius caro factus, exposuit nobis uoluntatem patris, ostendit patris tanquam quandam imaginem, iuxta illud, Filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Hic autem insignis locus est, per filium omnia condita esse, & omnia per eum consistere. Idem est in Epistola ad Hebræos, Portans omnia uerbo potētiae suae. Discimus igitur hinc quid creatio sit, non enim ita conditae res sunt, ut nunc sine Dei auxilio cōsistant, sed Deus gubernat eas, & agit at assiduo sicut in Actis Paulus inquit, In ipso sumus, uiuimus, & ma-

IN EPIST. AD COLOS.

Et mouemur. Quod durat res, quod spiramus, quod uiuimus, quod edimus, quod loquimur, quod cetera officia naturalia perficimus, Dei opera sunt. Nec somnare debemus, Deum à cōditis rebus discessiss, sicut fabrū à nauī facta discedere uidemus, eamq; alijs tradere gubernādam. Atq; hæc cognoscere ad timorem ad fidem alendam utile esse existimo.

Sed hic queri solet, si Deus agitat naturam, est ne malorum, seu peccatorū auctor. Hæc quæstionem in presentia nō libet tractare prolixius. Hoc satis sit tenere, quod Deus naturā conseruet, et efficacem efficiat, sicut et hic dicit, siue throni, siue dominationes, siue potestates, omnia consistūt in ipso, id est, quicquid est potens, efficax potentiā et efficaciam à Deo habet, Deus uitam robur, sapientiam, uires largitur. Sed quia Christus ipse dicit Iohan. 8. Cū loquit̃ mendaciū, ex proprijs loquitur, non faciā Deū authorem peccati, sed naturam conseruantem et uitā, et motū impartientem, qua uita et motu Diabolus, aut impij non recte utuntur, sicut et Oseas significat: Tua est perditio Israel, tantum in me auxilium tnum.

Queritur et hic, sit ne aliqua libertas uoluntatis nostræ, siquidē Deus agitat omnes creaturas? Quamuis autem non sit instituti nostri tam graues quæstiones et intricatas hoc loco explicare, tamē quia multi de hac controuersia litigant, uolui eam breuiter ex

An deus sit
malorum
auctor.

SCHOLIA PHIL. MEL.

plicare, ut alicubi infirmos animos de ea dubitantes, quantum possem, sanarem.

Cum de liberi Arbitrij facultate ac uiribus queritur, nō hoc queritur, an in potestate nostra sit edere, bibere, ire, uidere, audire & similia $\psi\chi\kappa\alpha$ oper facere. Sed queritur, an sine Spiritu sancto possimus Deum timere, ac credere Deo, & crucem amare ec. Seu ut alijs uerbis dicam, non queritur de creatione, quomodo agitet Deus omnes creaturas, arbores, bestias, homines. Sed queritur de iustificatiōe & sanctificatione, deq; his actiōibus, quæ non cadunt in hominem, tantū naturali uita uiuentem, quam iuxta Deus impertit bonis & malis. Hoc itaq; tenendū est, naturam hominis, naturalibus uiribus nō posse efficere uerum timorem Dei, & ueram fidutiā erga Deū, & reliquos adfectus et motus spirituales, sicut Paulus ait, Homo $\psi\chi\kappa\upsilon\varsigma$ non percipit ea quæ Dei sunt. Significat autem $\psi\chi\kappa\omicron\varsigma$ naturales uires omnes, rationem, mentem, uoluntatem, & in 8. cap. ad Ro. $\phi\omicron\nu\eta\mu\alpha\ \sigma\alpha\rho\kappa\omicron\varsigma$ mors est, nec potest legi Dei obedire. Et Iohannis 6. Nemo potest uenire ad me, nisi quem pater traxerit. Item, Sine me nihil potestis facere Adeo claris sententijs traditum est humanam uoluntatem non habere eiusmodi libertatem, ut iustitiā Christianā, seu spiritualcm efficere possit. Sed spiritu sancto opus est qui renouet nostra corda, qui nouos motus, nouā uitam,

tam,

IN EPIST. AD COLOS.

tam, nouā lucem, ac noticiam gignat in mentibus nostris, qui per Verbum perterrefaciat corda metu Dei, qui erigat corda & consoletur, ac efficiat, ut uere credat promissionibus Dei, & uere sentiant Deū adesse nobis, iuuare nos, exaudire ac defendere, qui inserat castitatem, amorem proximi, qui superbiam, ambitionem, inuidiam, ex animis radicitus uellat.

Longe errant, qui existimant ad concupiscentiā mutandam, Liberi Arbitrij uires sufficere. Multo magis errant, qui somniant se uiribus Liberi Arbitrij aduersus Diabolū defendi posse, qui perpetuo insidiatur nobis, non modo, ut ad cædem & alia flagitia pertrahat, sed etiam ut inserat impias de Deo opiniones, ac blasphemias. Etenim si non dubitauit Satan Christum tentare & oppugnare blasphemie telis, cum inquit, Si procidens adoraueris me & c. Math. 4. haud dubie nobis etiam insidiatur. Postremo aduersus mortem & inferos ratio non potest se consolari, aut iudicante Deo ac terrente corda nostra consistere, & se iustificare. Sic enim inquit Scriptura, Omnis gloria carnis, quasi gloria sceni & c. Proinde sic sentiamus naturam humanam suis uiribus non posse iustitiam coram Deo efficere, nec se suis operibus ad eam preparare, ut quidam loquuntur. Spiritus sancti opera sunt, per Verbum Dei, in animis fides, castitas, humilitas. Sicut inquit Christus, Spiritus sanctus me

SCHOLIA PHIL. MEL.

glorificabit, id est, Spiritus sanctus efficiet, ut uerbo meo credant corda, ut me agnoscant.

De libero arbitrio. Hic præcipuus locus est in disputatione de libero Arbitrio requirendus, non est curiose de naturalibus ac ciuilibus actionibus disputandum, an sit nostræ potestatis, uestem nigram aut rubram induere, ire huc, aut illuc edere, aut bibere, legere, aut scribere, suere calceos, aut equitare. Hoc sentiendū est totā naturam à Deo gubernari, & moueri, Deū impertiri uitā & motū oībus rebus, sicut scriptū est: In ipso sumus, uiuimus, & mouemur. Atq; hanc actionem Dei uocāt Theologi generalem, qua omnia sustentat, cōseruat, agit, pecudes, plantas, hoēs iuxtā bonos & malos.

Sicut autem aliter plantas agit, quā pecudes Ita aliter agit homines, quā pecudes, sed unamquāq; naturam qualem condidit, ita agit. Naturale donum est in arbore poma ferre, sic agit ac fecundat arborem. Ita naturale quoddam in homine donum & opus Dei est, prudentia humana, & libertas in delectu rerum. Hanc libertatem, seu hunc delectum non tollit actio Dei generalis.

Scriptura tribuit homini quandam prudētiam, ac iustitiam, quā efficit ratio suis uiribus, proinde libertatē quandam tribuit efficiēdæ eius iustitiæ. Quare sentio penes rationem hominis esse aliquā libertatē, seu dilectū aliquem rerum corporalium. In his etiam
ciuilem

IN EPIST. AD COLOS.

ciuilem iustitiam numero. Neq; est obscurum quid uocem, ciuilem iustitiam, nempe continere manus à cæde, furto, uiolentia, seruare pacta, ab alterius uxore abstinere, & similia.

Quidam cum audiunt uoluntati libertatem adimmi, frustra arbitrantur leges esse positas ad coërcendam carnem, & desperatione quadã cupiditatibus frenum laxāt. Hi docēdi sunt Deū præcepisse, ut carnales homines qui non reguntur spiritu sancto, legum uinculis ac poenis coërceantur, sicut scripsit Paulus Lex est iniustus posita. Sunt item docendi, esse aliquã libertatem humanæ uoluntatis, & facultatē quandã iusticiæ carnis efficiendæ. Nam ideo uocat eã scriptura iusticiã carnis, quia humanis uiribus efficitur.

Sed hic rursus est addenda correctio huius sententiæ, ne quis nimium Libero Arbitrio tribuat. Etiam si quædam libertas ac facultas sit in homine efficiendæ aliquo modo ciuilibus iusticiæ, seu iusticiæ legis. Sicut in arboribus naturalis quædã uis est, poma gignendi, tamen illa ipsa uis in homine non est integra, sed cum uitiata sit humana natura peccato originis, rapiunt hominem adfectus & cõcupiscentia ad manifesta delicta. Ita uitiata arbor, uiciosos fructus gignit, & ne quidem ciuilem iustitiam præstare ubiq; potest.

Ad hæc, cum impij sint in potestate Diaboli, impelluntur ac incitantur à Diabolo, ut nullis poenis, quas

SCHOLIA PHIL. MEL.

et inuis horribilibus, absterreri queant à manifestis delictis. Videmus quàm horribile supplicium constitutum sit in fures, quo tamen nihil moueri tam multos constat. Quid, quæ omnino abhorrent à natura, mortem sibi consciscere, interficere parentes aut liberos, unde hæc portenta proficiscuntur? certe à Diabolo, qui tenet captiua corda impiorū, ut Paulus docet. Et Christus inquit ad impios, Vos ex patre diabolo estis.

Discamus igitur quod ne quidem ciuilem iustitiam præstare possimus sine auxilio Dei. Atq; huius rei exemplum aliquod est in Philosophis cernere, qui cum summo studio conati sint ciuilem iustitiam præstare, id ipsum tamen non sunt adsecuti, sed pleriq; omnes insignibus flagitijs obnoxij fuerunt. Et existimo talibus uitijs à Deo notatos esse, ut cerneremus quanta sit infirmitas humanæ mentis, quanta Diaboli potentia, quàm nihil possimus proficere nostris uiribus, ignorantes Deum. Quis ex Philosophis non quæsiuit causam tantæ infirmitatis in animis hominum, cur homines non possint tot uinculis legum ac suppliciorū coherceri? Nec deprehenderunt tantæ rei causam, sed sacræ litteræ ostenderunt nobis in causa esse peccatū originis, & Diabolum. Proinde qui magnopere prædicant uires Liberi Arbitrij, sequuntur Philosophos, qui uim rationis humanæ uehunt immodicis laudibus. Sed falluntur una & Philosophi, & qui hos authores sequuntur,

IN EPIST. AD COLOS.

sequuntur, nec considerāt quid sacræ literæ doceant. Nos igitur oremus Deum, ut gubernet nos, ut spiritu alibus oculis uidere infirmitatem nostrā possimus, & ut ad Christi agnitionem nos perducatur, ut spiritu sancto regamur, purificemur & sanctificemur.

Hæc pio studio adscriptimus, ut iuuaremus quosdā infirmos, qui se anxie torquent hac quæstione de Libero arbitrio, qui sciant in hac disputatiōe hoc in primis tenendum esse, quod ratio humana non possit efficere iustitiam Christianam. quod illa ipsa ciuilis iustitia, quam aliquo modo efficit ratio, non iustificet nos coram Deo, nec mereatur gratiam. Cæterum iudico rationem habere quendam delectum ac libertatē efficiendæ iustitiæ ciuilis, tametsi ea libertas sit impedita infirmitate naturæ, ac uinculis Diaboli.

VT SIT IN OMNIBVS PRIMATVM.

Oportuit Christum primas habere, quia ipse regnaturus erat. Neq; enim datus esset Spiritus sanctus, nisi regnante Christo. Id enim est Christi regnū, dare Spiritum sanctū, & sanctificare ac regere alios, sicut scriptū est in Psalmo, Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, accepisti dona pro hominibus. Quia enim Christus accepit regnum, accepit à patre dona, quæ in nos effunderet. Sic igitur de Christi regno sentiamus, quòd uere adsit, largiatur dona, exaudiatur ac defendat nos. Sed longe aliter somniat ratio,

SCHOLIA PHIL. MEL.

neq; enim potest intelligere illam presentiam Christi aut uim misericordiae. Sed ut Homerus fingit Iouem apud Aethiopas conuiuari, nec uacare, ad audiendas preces hominum. Ita somniat caro, Christum tanquam tyrannum aliquem alicubi beatè uiuere, ac sibi regnum gerere, nos non respicere ac audire. Aduersus huiusmodi impias cogitationes corda Verbo Dei munienda sunt: Hanc igitur sententiam Pauli diligenter adfigamus animo: Christum tenere primatum, & in eo inhabitare omnem plenitudinem.

Cum autem sui regni primatum teneat, necesse est ut regnum tanquam dux secum trahat, ac cum eo uerse tur, sicut promisit se nobiscum fore, usque ad consummationem seculi. Adhuc inhabitat in eo omnis plenitudo, sicut scriptum est à Propheta, Spiritus Domini super me. Sed non est intelligendum illis diuitijs diuinitatis ipsum ita frui, ut non comunicet. Sic in eo inhabitat illa plenitudo, ut de ea impertiatur nobis, sicut Iohannes inquit: De eius plenitudine omnes accepimus. Sic de regno Christi cogitandum est, quod praesto adsit, quod defendat nos aduersus Diabolum, mortem, peccatum, mundum, quod adducat nos ad patrem, tanquam coheredes regni. Et alit fidem, sic intelligere regnum Christi.

PACEM FACIENS PER SANGVINEM CRUCIS
SVAE PER SE IPSVM &c.

Primum hic animaduertendum est, nullam uictimam

nulla

IN EPIST. AD COLOS.

nulla opera satis facere pro peccatis nostris, præter
 solum Christum. Sicut 1. ad Timoth. 2. scriptum est:
 Unus mediator Dei & hominū homo Christus Iesus,
 qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.
 Et 1. Iohan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.
 Item, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
 Eodem pertinent, quæ hoc loco scripsit Paulus, re-
 cōciliata esse omnia per Christum. Item, pacē esse fa-
 ctam in cælo & in terra. In cælo, quia Deus iam pla-
 catus est nobis, & factus pater, oblitus nostrorum de-
 lictorum, regens & seruans nos, sicut in Prophetis
 pollicetur Malach. 3: Et erunt mihi, ait Dominus ex-
 ercituuum, in die qua ego faciam, in peculium, & par-
 cam eis, sicut parcit uir filio suo, seruiente sibi.

Per Christū
 pax facta
 est in cælo
 & in terra.

In terra uero est pax facta, quia nos uicissim ama-
 manus Deum & credimus ei, & confidimus eius
 misericordia. Nam caro per sese non potest nō odisse
 Deum, cum uidet quantæ pœnæ impendeant nobis
 pro peccatis nostris, cum uidet multis nos calamita-
 tibus in hac uita exerceri, quas cum considerat hu-
 mana ratio, aut arbitratur Deo res humanas non es-
 se curæ. Ita fit, ut contemnat eum, aut crudelem esse
 iudicat, qui uidebatur delectari nostris malis. Ita fit
 ut uehementer ei succenseat ut iniquum esse cogitet.

Sed postquàm ignosci nobis propter Christum ar-
 diuimus, & credimus, iam sentimus nos receptos esse



SCHOLIA PHIL MEL.

in gratiam, & curæ esse Deo, & regi & defendi ab eo, & exerceri aduersis rebus ad salutem nostrã. Ita fit, ut de Deo bene sentiamus, ut eum misericordem, & iustũ esse fateamur, ut ab eo auxiliũ expectemus & postulemus, & semper sentiamus nos Deo placere, non propter opera ulla nostra quantumuis bona, sed propter Christum. Hæc uera pax est, quam Christus in terris efficit erga Deum, quæ planè est ipsissima uita æterna, & summum & ineffabile solatiũ in omnibus afflictionibus. Parit autem talis pax etiã de

Vera pax ad afflictis summũ solatium.

inde pacẽ erga homines, quia Spiritu sancto accepto, omnes fructus spiritus sancti, caritas, patientia, & similes pijs innaſcuntur. Sic accipio & illud in Luca, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & hominibus beneplacitũ. Est enim gloria Dei, misertũ esse nostri, & dedisse Christum, & quidem ea gloria sic innotescit, quia Deus non potest cognosci, nisi ab his, quibus filius ostenderit. In terra pax est, ut dixi, placatus Deus est, & uicistim nos illum amamus. Et hominibus est beneplacitũ, id est, hominibus placet Deus, nunc tudent se Deo curæ esse, se à Deo amari.

Idem mihi Paulus uidetur uoluisse, in Epistola ad Ephe cum ait, ἀνακεφαλαιώσας τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ τὰ τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆ γῆς ἐν αὐτῷ, id est, rursus copulare omnia quæ sunt in cœlo, & supra terram, & coniungere Deum cum hominibus, homi-

nes

IN EPIST. AD COLOS.

nes cum Deo, ut uni Christo omnes subditi, inter se consentiant, & consentiant cum Deo.

SI QUIDEM PERMANETIS &c.

Haftenus definiuit Euangelium, nunc adijcit circumstantiam, quomodo nobis contingant beneficia ostensa in Euangelio, quasi diceret, Ingenti promittis, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam eternam Ingens hic thesaurus est, sed quomodo consequemur tantum thesaurum? Hic respondet, sed ut in breui Epistola, breuiter. Itaque non negligenter haec, quam breuis particula praetereunda est, Sic inquit, estis redempti, si manetis in fide firmi, id est, consecuti estis remissionem peccatorum, si credideritis propter Christum remissa esse peccata. Eandem sententiam persecutus est copiose ad Roma 3. Arbitramur iustificari hominem fide sine operibus legis.

Nulla nostra opera merentur iustificationem coram Deo, Tametsi Antonius habeat acerrima exercitia. Tametsi omnes fortunas collocet in eleemosynas Martinus, tamen non propter illa opera iustificantur coram Deo, sed sentiant se fide iustificari ac Deo placere. Planè arcana haec doctrina est, sed tum intelligitur, quando Deus iudicat ac terret corda nostra, tum enim uidemus nos non posse Deum placare nostris operibus. Sicut Propheta, inquit, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo

Quomodo nobis contingant beneficia ostensa in Euangelio.

SCHOLIA PHIL. MEL.

omnis uiuens. Sed adpræhendēda est gratia promissⁱ
per Christum. In hunc Christum intueri nos oportet,
& credere, q^d propter eum iustificet pater, Ea fides
est retinenda, sentiendumq[;], q^d per eum iustificemur
non per ulla opera. Hæc est præcipua Euangelij do-
ctrina, hanc tenere nos præcipuā consolationē oportet,
neq[;] corā Deo possunt cōsistere, qui eam ignorāt

CVIVS FACTVS SVM EGO MINISTER.

De suo ministerio inserit excursus, ne dubitent,
à se Verbum dei prædicari.

NUNC GAUDEO SVPER AFLICTIONIBVS

Afflictiones sanctorum sunt Christi afflictiones,
sunt enim sancti membra Christi. Proinde, tantisper
deest aliquid afflictionibus Christi, donec supersunt
sancti qui adfliguntur. Memini quēdam hoc loco tur-
piter abuti, qui ratiocinabatur, Christi passionem nō
satisfecisse pro peccatis nostris, quia Paulus hic dice-
ret, se, qd' deesset afflictionibus Christi, supplere. Non
ferenda blasphemia est, ad hanc sententiam detorque-
re hunc locum, neq[;] enim Paulus dicit: Christi passio-
nem non satisfecisse pro peccatis nostris. Imò in Epi-
stola ad Hebræos copiose disputat, unius Christi passi-
onem pro omnium peccatis satisfecisse. Vna, inquit,
oblatione consummauit sanctos. Quanq[;] igitur com-
munes sint afflictiones sanctorum & Christi, tamen
Christi

IN EPIST. AD COLOS.

Christi passione satis factum est Deo. Nostræ adflitiones non satisfaciunt pro peccatis, non iustificant nos, sicut cōmunes sunt imperatoris ob militum labores, potestas nō est cōmunis. Ita adflitiōes sanctorum ac Christi cōmunes sunt, sed gloria satisfactionis, & sanctificationis, pertinet ad Christum. Proinde adfingit paulo nouam sententiam. Si quis ex hoc loco contendit Christi passionem non satis fecisse pro peccatis nostris, aut efficere conatur, quod nostris adflitionibus iustificemur.

Etenim ut de operibus Paulus argumentatur, ita de adflitionibus argumentari possumus, si ex adflitionibus nostris iustificamur, gratis Christus mortuus est. Quid aliud docent pauidas conscientias, nisi desperationem isti, qui nos à Christo abstrahunt ac uetant confidere Christo, necesse est enim desperare conscientiam, quæ cum sentit iram Dei, nec potest pacem consequi ex propria iusticia, aut proprijs adflitionibus, non audet tamen intueri Christum, et confider quòd gratis donet iustitiam.

Est aut ex hoc loco hæc consolatio petenda, cum enim adflitiones nostræ sint cōmunes Christo nobiscum, dubitare non debemus, quin sit nos erepturus, & nostra certamina gubernaturus. Adficatur enim nostris adflitionibus, quæ admodū docet Epistola ad Hebræos, habere nos Pontificem, qui sciat compati.

SCHOLIA PHIL. MEL

Proinde credere debemus eum nobis non defuturum esse, qui in maximis periculis uersatur, quibus cum mundus ac Diabolus horribile bellum gerunt.

CAPVT. II.

NAM VOLO VOS SCIRE &c.

MENTIONEM FACIT ADFLICTI
Monum suarum, ut confirmet fidem nostram.
Etenim cum cernimus ipsum adiutum ac liberatum esse, erigimur exemplo eius & credimus nobis etiam auxilium Christi adfuturum esse. Ideo ait, uolo uos scire quantum certamen sustinuerim, ut corda uestra consolationem capiant. Sic inquit. 2. Cor. 1. Siue tribulamur, ideo tribulamur ut uos consolationem capiat. Sicut enim tradita sunt in scripturis exempta alia in quibus est uidere quomodo defenderit Deus credentes, ita suum ita nobis exemplum contemplandum & considerandum ostendit.

Nam & illæ Historiæ sanctorum ideo scriptæ sunt ut inquit Paulus, ut fidem in nobis erigant, sicut Helisei puer conspectis legionibus angelorum consolationem concepit, ita nos uidentes defendi & seruari Paulum, credamus nos similiter Deo curæ esse, & custodiri ab eo. Neq; est quod disputemus, nos esse peccatores, dissimiles Helisei, Pauli, & aliorum sanctorum

RUM

IN EPIST. AD COLOS:

rum. Hanc enim imbecillitatem & in credulitatem maxime odit Deus, & e contra fidem maxime requirit. Quod si credes, perinde iuuabit te Deus, sicut adiuuit alios sanctos. Ideo adfligit ut fidem exuscitet in nobis. Et credere gratissimum sacrificium Deo est, ut Psalmus inquit, Sacrificate sacrificium iusticie & sperate in domino, q. d. id esse uerum sacrificium sperare in Domino.

COMPACTI IN CHARITATE &c.

Quod sequitur, si disoluas facilius intelligetur, uolo uos scire quantum certamen sustinuerim pro uobis & his qui sunt Loadiceæ, & qui non uiderunt faciem meam in carne, ut consolationem capiant corda eorum, & adiungantur nobis, seu coagmententur tanquam infirmi, firmioribus. Isto enim caritatis officio dum consolor eos, illi eriguntur & nobis adiunguntur, & adherescunt. Sicut teneræ uites adherescunt ulmis donec confirmentur, & paulatim adprehendendo proximos ramos euadunt in cacumina. Interpretatur itaq; Paulus Rhetorica quadam amplificatiōe quid uocet consolationē. Sic inquit, uolo eos capere consolationem, ut nobis adiuncti, hoc meo caritatis officio, fidem induant firmiorem, ut credant uere Christum & ipsis opitulaturum esse. Et quidem experientur similiter se adiuuari, & doctrinā nostrā ueram ac salutarē esse. Verbis autem usus est ualde elegantibus, nam

SCHOLIA PHIL. MEL.

συνβάσειν significat adiungere & coagmentare. Sicut in edificio apte coniunguntur trabes, ne alia aliā impediāt, sed ita ut se mutuo fulciāt ac sustentēt. Sic in Ecclesia firmi adiungant sibi imbecilliores, nō ut eos perturbent, sed ut erigant, & confirment.

Et ab hac similitudine significat eadem uox instituere, quasi docendo dirigere seu componere, seu unā collocare. In qua significacione, tamen si hic nō usurpatur, tamē in enarrādo licebit, opinor, ad eam alludere, sic enim consolatur illos Paulus, ut instituat, ut doceat, ut sua adhortatione fidem illorum erigat, ne dubitent de Christo. Ideo enim ait se illis significare q̄ sit adiutus, ut in ipsis accēdatur fides, ut credāt cōstantius, neq; ipsis defuturum esse auxilium Christi.

Est & uerbo πληροφορίας usus, quod supra enarrauimus. Nam πληροφορία συνείσως significat plenā & perfectam intelligentiam, seu cognitionem nihil dubitantem. Talem enim oportet esse fidem, quæ certo sentiat Deum ignoscere propter Christū, quæ certo sentiat exaudire nos, quæ certo statuāt Deum nos defensurum esse, quemadmodum certo sentimus uri manus admotas igni. Hic consulat unusquisq; suū cor, an ita certo statuāt se exaudiri à Deo. Sic enim intelliget fidei suæ imbecillitatem, qua cognita, oremus Deum, ut addat nobis robur. Longe falluntur Hypocritæ, qui docēt uiribus Liberi Arbitrij fidē effici in nobis

IN EPIST. AD COLOS.

nobis. Ratio enim non potest assentiri promissionibus Dei, cum sensus diuersum ostendunt. Non erat rationis opus in Ezechia, cum crederet futurū, ut defenderetur aduersus Senacherib. Ratio enim cum maximas vires Assiriorum intueretur, easq; cū exiguis copijs Iuda cōpararet, ratiocinabatur, haud dubie uictoriā penes Assirios futurā esse. At Deus alios quosdam motus, aliam lucem indiderat Ezechie, ut certo statueret exaudiri preces suas. Ea fides constanter exspectauit auxilium Dei, promissionibus ac Verbo Dei innixa.

Hæc ideo diximus, ut diligenter expendant lectores uim uerbi *πληροφορίας* Ita enim discant, fidem oportere, quandam certam in mente sententiam, non ambiguum opinionem esse. Estq; hæc summa sententiæ, Significo uobis meas adflictiones, ut cum uidebitis me ereptum esse, fidem concipiatis, & Christum uobis adfuturum esse. Nam in adflictionibus experimini præsentiam eius, si constanter credideritis & toties pollicenti gratiam & auxilium.

Cæterum hic locus & nos docet uti exemplis sanctorum, ad nos Pauli uocem pertinere sentiamus, & eius exemplo credamus, Deū nobis opitulaturū esse. Existimemus nos ipsos teneras illas uites esse quas sibi adiungi, & suo exemplo ad Christum intueendum erigi uult, donec grandescamus, ut enim promissiones diuine, ita exempla sanctorū considerari debent in ad-

SCHOLIA PHIL. MEL.

afflictionibus ad exuscitandam fidem, nam in exemplis illis sunt ueluti expressæ & depictæ promissiones Dei. Estq; hæc pars doctrinæ Christianæ de cruce diligentissime cognoscenda, ut sciamus, unde in afflictionibus consolatio petenda sit, nempe à promissionibus diuinis & promissionum exemplis, quæ nobis in sanctorum hominum certaminibus ostensa sunt.

IN QVO SVNT OMNES THESAURI SAP. &c.

Non enarrant apte hunc locum isti, qui arbitrantur ideo Paulū dicere in Christo omnes thesauros sapientie esse, quia præcepta meliora tradiderit Christus quàm Moyses, aut Philosophi. Qui enim sic interpretantur hæc uerba, non uident discrimen legis & Euangelij, non intelligunt cur Christus missus sit. Non enim uenit ad legem ferendam, sed uenit ad prædicandam remissionem peccatorum credentibus, sicut ipse inquit Iohan. 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Origenes aduersus Celsum diligenter colligit præcepta Christi, ut ostendat Christianam doctrinam præstantiorem esse gentili Philosophia, sed est perniciosissimus error arbitrari Christum ideo uenisse ut nouas leges traderet, uenit enim ut remitteret peccata, ut tolleretur iniquitates nostras, sicut Propheta inquit, & ut daret Spiritū sanctū. Sed hæc de re sæpe diximus aliàs.

Ncq;

IN EPIST. AD COLOS.

Neq; satis est hunc locum speculatiue accipere, cum qui nouit Christum, multa arcana & sublimia scire de natura Dei, sed potius est accipiendus de cognitione uoluntatis Dei. Ea demum est uera sapientia quem sic uocat scriptura, nosse uoluntatem Dei, id est, nosse quod Deus uelit ignoscere, uelit seruare, uelit nos exaudire. De hac cognitione loquitur Christus Io han. 1. Deum nemo uidit unquam, filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et Matthæi 11. Neq; patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Eò referenda est & hæc Pauli sententia, In Christo esse omnes thesauros sapientiæ, quia cor humanum non potest statuere, quod Deus uelit nostri misereri, uelit nos exaudire, uelit nos seruare. At postquam audiuit per Christum esse placatam iram patris, & esse remissa peccata. Cum hoc modo Christum agnouit, atq; credidit ei, ibi primum uidet uoluntatem Dei, ac scit certo Deum misereri, Deum exaudire, defendere, & seruare credentes. Hic primum uera quædam de Deo notitia, uerum lumen illucescit in cordibus. Nam ratio per se ignorat Deum, non iudicat Deo nos curæ esse, non iudicat nos exaudiri, nihil audet à Deo expectare, aut postulare. Sed cum perterrefacti cognitione peccatorum nostrorum, credimus remitti nobis peccata propter Christum, aliam quandam de DEO sententiam concipimus,

SCHOLIA PHIL. MEL.

Et uere statuimus, quòd adsit nobis, quòd misereatur nostri, et iuuet, quòd defendat nos.

Sed hæc est arcana sapientia, et prorsus ignota rationi. Ideo Paulus ait, esse absconditos hos thesauros in Christo, et uocat Euangelium mysterium. Nam ratio seu mundus non potest deprehendere uoluntatem Dei erga nos. Paulus inquit, Mundus non cognouit Deum in sapientia per sapientiam. Cum omnia argumenta de diuinitate collegit Cicero, tamen dubitat, utrum curæ simus Deo, nec ne. Epicurus planè negauit, quia malis bene esset, bonis male, quia tam multū sit calamitatum ac uitiorum in hominibus. Et arbitrat, tot malis medicaturum fuisse Deum, si regeret res humanas, tanquàm optimum principem. Et non solum Philosophi errant de Deo, sed errant etiam Pharisei, hoc est, isti qui iustificant se iustitia operum, hi enim somniant Deo satisfieri per opera, et falsam quandam de Deo opinionem habent. Nam iram Dei aduersus peccatum non cernunt. Et rursus cum adfliguntur, et incipiunt irā Dei sentire, non uident præsentiam et misericordiam Dei, nihil auxiliij audēt expectare aut postulare à Deo, quia sine fide sunt, et dum conantur per opera satisfacere Deo, tamen non possunt pacem in conscientijs consequi. Non igitur norūt Deum, planeq; sine Deo sunt Pharisei isti, qualis Saul fuit. Recte igitur Paulus inquit, absconditum esse

IN EPIST. AD COLOS.

esse sapientiam Euāgelij coram mundo. Proinde persequitur & condemnat eam mundus.

Adhuc illi ipsi qui credunt, aliquando ad desperationem sollicitatur in cruce. Est enim formis crucis testata hæc sapientia, etiam in ipsis sanctorum cordibus. Adeo arcana est hæc notitia Dei, ut sancti cum tentantur, cum uident suum peccatū, seu irā cū Dei sentiūt, uix erigere se possint, ut in Christo comprehendant misericordiam & gratiam. Mundus autem planè emētitam doctrinā esse putat, per opera non consequi nos & notitiam Dei, tantum cōsequi nos illam per fidem iustitiam in Christum.

SECUNDA EPI

STOLAE PARS.

HOC AVTEM DICO, NE QVIS
IMPONAT VOBIS &c.

SVpra absoluta definitione Euangelij, cumq; tradidit, quid sit iustitia Christiana, hic subiicit admonitionem, in qua iubet uitare, ea quæ Christianam doctrinam contaminant, sicut medicus cum tradidit remedium, monet etiam quæ ledant ualeitudinem. Faciet autem Paulus aliquanto post insignem collationem iustitiæ Christianæ, cum iustitia carnali. Nam qui

SCHOLIA PHIL. MEL.

hoc discrimen non tenet, is Christum prorsus ignorat. Diligenter igitur hic totus locus considerandus atq; cognoscendus est.

Porro hic iubet Christianos cauere, ne probabili ratione decipiatur. Quidam inepti intellexerunt hic ornatum orationis, sed longe alia mens est Pauli, cum enim doctrina Christiana dissentiat à ratione, iubet nos cauere, ne decipiamur argumentis à ratione sumptis. Quid decepit Arrianos? non orationis ornatus aliquis, sed callida argumenta rationis humanæ. Videbatur absurdum tres esse personas, cum diuinitas debeat esse simplicissima natura. Quid decepit eos qui sentiunt, quòd operibus iustificemur coram Deo, non sola fide? ratio decipit, nam hæc non uidet aliam iustitiam, nisi iustitiam bonorum operum, atq; ideo iustitiam fidei somniat esse commentitiam. Nec uidet ratio immunditiam cordis, ignorationem Dei, contemptum Dei, incredulitatem.

Arriani.

Pelagius.

Unde hereses in ecclia.

Ideo Pelagius, & magna pars Theologorum, prædicauerunt immodice bona opera externa, & docuerunt quòd mereantur gratiam. Deniq; omnes hereses in Ecclesia natæ sunt ex rationis argumentis, quia enim doctrina Euangelij dissentit à ratione, necesse est errare eos, qui non Euangelium, sed suæ rationis iudicium sequuntur. Et uocabulum $\pi\theta\alpha\nu\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$, quo hic est usus Apostolus, significat non ornatum orationis

nis

IN EPIST. AD COLOS.

nis, seu elocutionem, sed callide & uerisimiliter cogitata argumenta. Sæpe enim ea uoce Græci Rhetores in eam significationem utuntur.

VIDETE, NE QVIS VOS DEPREDETVR &c.

Quid supra dixerit probabilem rationem, id exponit nunc pluribus uerbis, inquiens, Videte, ne quis uos per Philosophiam deprædetur, Hoc in loco collatio humanæ iustitiæ ad Christianam instituitur. Est autem ualde necessariū cognoscere, quid inter utramq; intersit, ut sciamus, quatenus exigat Deus iustitiā humanam, & quatenus improbet eam.

Philosophia quatenus est scientia loquendi, & rerum naturalium & ciuiliū morum, & ea tantum de rebus naturalibus ac moribus ciuilibus, affirmat ac docet, quæ certa ratione comprehenduntur, est uera & bona creatura Dei. Est enim ipsum iudiciū ratiōis quod in rebus naturalibus & ciuilibus Deus dedit humanæ naturæ uerū & certum, quia dicit Paulus Rom. 2. quod gentes habeant legem Dei scriptam in cordibus, id est, habenti iudicium, quo iudicare possunt, ne minem lædendū esse, gratiam pro benefactis habendum esse, Magistartibus obsequendum esse, & similia. Habent ergo homines uerum & certum iudicium à Deo, de ciuilibus moribus, item habent de rebus

Collatio humanæ iustitiæ ad Christianam. *phia*



SCHOLIA PHIL. MEL.

Ne q̄s uos de
cipiat p̄ Phi=
losopiā, quō
intelligendū

naturalibus, de numerando, de mensuris, de ædifican-
do, de remedijs morborum. Cum igitur Paulus ait, Ca-
uete, ne quis uos decipiat per Philosophiam, non est
sic accipiendum, quòd illa Philosophia, quæ docet na-
turas corporū, aut ciuiles mores, sit uana. Permittit
enim uti nobis isto iudicio rationis, sicut uestitus & ui-
ctus. Non uetat numerare aut metiri corpora, non ue-
tat ædificare, nō uetat pingere, non uetat mederi mor-
bis corporū, non uetat iudicia exercere. Immo, quia
audis hæc dona Dei esse tradita naturæ, multo magis
debes hanc Philosophiam uenerari, quam Deus dedit
ad uitæ præsidia paranda. Vult enim Deus nos labo-
rare, & uiuunt cōmodius, qui sciunt remedia morbo-
rum, qui sciunt iudicijs ac legibus mores suorum ciui-
um gubernare, & tranquillitatem publicam munire,
quam barbari, qui cum nullas leges habeant, ferarum
more uagantur, & perpetua latrocinia exercēt, nulla
iura cōubiorū, uel educandæ sobolis norunt. Nec à
Syclopibus petenda sunt exempla, quorū crudelita-
tem Homerus descripsit. Nihil plus humanitatis ho-
die ferunt apud Hungaros esse propter inscitiam bo-
narum artium, quàm apud illos Cyclopas fuit.

Contra illos,
qui malè vñ
t̄ hoc dir-
to Paulj

Vidit qui hoc Pauli loco abusi, omnes bonas discipli-
nas adspernabantur, tanquàm nihil aliud esset Christi-
ana religio, nisi extrema inscitia. Sed ea opinio, cum
pernitiosa est rebus humanis, tum etiam simpliciter
impia.

I N E P I S T . A D C O L O S .

impia Nam cum artes omnes, diuinitus nobis ostensae sint, Deiq; dona & sunt, & uere uocentur, pietas quaedam est eas colore ac discere, non contemnere. Si tamen, ut dixi, ita iudices praecipere eas non de dogmatibus religionis, sed de corporalibus rebus. Ut enim iure possis impium eum dicere, qui se fame necaret, existimans peccatum esse, cibos attingere, ita turpissime errant, qui homini Christiano negant humanas artes discendas esse, cum sine eloquentia, sine literis, sine legum cognitione, sine medicina haec uita corporalis conseruari non possit. Nec magis cibus opus est generi humano, quam his artibus. Poenas profecto publice constitui oportuit, tanquam in fures aut grassatores, in eos, qui ab harum artium studijs animos hominum abstrahunt. Neq; enim magis in commune nocent ulli fures, aut praedones, quam isti, maxima uitae corporalis praesidia, quae posita sunt in cognitione literarum, generi hominum eripere conantes. Et audet scelesti nebulones adhuc dicere pietatem esse, has artes contemnere, cum nulla humana mens concipere tantam gratiam possit, quam Deo pro his tam utilibus donis debemus, Collegit Augustinus de doctrina Christiana, quid conferat humanarum disciplinarum scientia, ad intelligendam scripturam. Et res loquitur ipsa, sine scientia linguarum, & sine his artibus, quae recte & perspicue loqui docent, enarrari scripturam non posse.

Cogitatio
p[er] h[oc] est
m[er]it[um] b[ar]o

SCHOLIA PHIL. MEL.

Scriptura
enarrari sine
scientia lin-
guarum non
potest.

Sed fac nō omnium artium usum esse in enoratio-
ne scripturæ, non propterea nullæ earum utilitates
sunt. Nihil agricultura ad religiōis cognitionē opus
est, neq; tamen propterea impietatis rea agenda est.
Ita medicina, & totius Philosophiæ, quæ uersatur in
perscrutanda natura beneficijs, in seruanda uita cor-
porali, sine reprehensione uti possumus

Paulus naturæ cognitionem, ueritatem Dei adpel-
lat Rom. 1. Quæ est autem amentia, cum spū^{us} sanctus
et ueritatem, & quidem diuinitas ostensam generi
hominum, naturæ cognitionem adpellet, Christianos
ab ea tanquàm interdicto submouere? Id potius agen-
dum erat communibus studijs, ut rem tam præclaram
tanq; utilem conseruaremus, & posteris traderemus,
quàm maxime illustratam, ne nostrâ inertia diuinum
donum intercidisse uideretur. Patrimoniū suis quisq;
liberis relinquere studet, ut hoc publicum patrimoni-
um cælo in terra demissum, publicæ omnes defende-
re, & ad posteros transmittere debebamus. Quæ est
enim nobilior possessio, quàm VERITATIS, quæ
nulla existere inter homines potest, nisi Deo authore?
Sic enim scriptum est, ut oculus uideat, ut auris audi-
at, Deus facit utrunq;. Neq; dubium est, quin hi qui
res non animaduersas uulgo deprehenderunt, diuini-
tus incitati sint ad earum rerum inquisitionem. Quis
tot plantarum uires, tot formas remediorū comperis-
set, quia

IN EPIST. AD COLOS:

set, quis illam uarietatem coelestium motuum deprehendisset, nisi Deus excitasset & gubernasset hominum studia: Et quod de suo artificio Poëta dixerunt, id uerissime & sanctissime de omnium disciplinarū, uel inuentione, uel illustratione dici potest, Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Nō est autem huius loci utilitates omnes naturalis Philosophiae enumerare. Tantum una atq; altera sententia ex scriptura citata fidem facere uolui, tractationem eius Deo non displicere Paulus ueritatem Dei uocat. Item iubet nos cum gratiarum actione creaturis uti. 1. Timoth. 4. Itaq; medicina uti licet. Item scriptū est, à Deo medicum creatum esse, hoc est medicinam diuinitus ostensam esse. Versantur autem utilitates ipsae ob oculos sanis hominibus, quam multis enim medicinae beneficijs quotidie utimur. Ezechias quā iam audisset diuinitus prorogata sibi uitam esse, tamen remedio utitur, & quidem medico Esaia. At medicina comprehendit uniuersam Physiologiam et Astronomiam. Sunt enim in medendo temporum discrimina quaedam seruanda, sicut ex Hippocratis Aphorismo adparet, ὑπὸ κύναι καὶ πρὸ κύνος ἔργα δεῖς εἶναι φαρμακίαι, & adparet esse aliquas astrorum uires in adficiendis corporibus, & temperādis qualitibus corporū, quae sint obseruāda medico. Nec ea temporum obseruatio superstitiosa est, quemadmo-

De Philosophia naturali

physiologia

SCHOLIA PHIL. MEL.

dum nec superstitio est, sed diuina ordinatio hyemē aut uere serere, æstate metere, uino interdicare febricitanti. Superstitio tum demum esset, si sine caussa naturali abstinere uelis à uino, & iustificationis caussa, sicut Cartusiani à carnibus abstinere coguntur.

Utilitas
Astronomiæ

Est autem & alia Astronomiæ utilitas, quòd oportet habere ciuiliū negotiorum caussa, certam anni & mensium descriptionem, quam si non haberemus, quæ confusio in rebus publicis esset? Pecudum uita, non hominum fuerit, nullas nosce certas tēporum uices, non annorum, non mensium descripta spatia habere. Dominus in Genesi, cum ait de luminibus in cœlo, Sint in signa & tempora, & dies, & annos, uoluit certe motus luminū obseruari, ut anni iustū spatium deprehēderetur. Etenim nisi accedat obseruatio motus, & descriptio tēporis, nihilomags nobis, solis cursus annū cōficit, quā pecudibus. Sed ita demū annum intelligimus à sole confici, si totum cursum obseruaerimus: Cum autē intelligi possit præcepisse Deum, ut discrimina temporum ex motuū uicibus numeremus, satis constat rectum esse in hac arte operam sumere.

De morali
Philosophia.

Necessaria est & altera Philosophiæ pars, quæ morum præcepta tradit, & quæ leges regendarum ciuitatum peperit. Est enim quædam doctrina & pedagogia priuatim formandis ad humanitatē moribus hominum opus, in quem usum primum poemata, qualia sunt

IN EPIST. AD COLOS.

sunt Hesiodi & Homeri & similia, scripta sunt. Postea diligenter natura hoīs inspecta, Philosophi causas illorum præceptorum quæstuerunt, & formas uirtutum ordine descripserunt, ut in officijs Ciceronem, in Ethicis Aristotelem fecisse uidemus. Mirum est autem quantum moribus conducatur illorū cognitio, quanto commodiores ac tractabiliores in omni conuictu, quanto ad Rempublicam gerendam, ad iudicia exercenda, ad alia multa humanitatis officia magis idonei sint, qui domi hæc perceperunt. Contra, corū qui non exculti sunt, mores ita feri sunt, ut non multū distare à bestijs existimentur. Vt enim agri, si non colantur, & serantur, sterilescunt, aut gignunt inutiles herbas, ita mentes humanæ, si non excitentur & acuantur doctrina, praua consuetudine, nō tantum hebetiores fiunt, sed plane corrumpuntur. Porro præcepta illa moralis Philosophiæ eruta sunt ex natura, seu collecta ex legibus naturæ, quas Deus animis nostris inscripsit, nec minus sanctas leges haberi uoluit, quàm quas in saxo Mosi sculpsit. Hinc à sapientibus uiris, quos Deus excitauit ad Respublicas cōstituendas, leges etiam deriuatæ sunt, iuxta quas iudicia exercerentur, res diuiderentur, punirentur maleficia, has non dubitat Paulus uocare diuinam ordinationem. Vides manifestis scripturæ sententijs, has Philosophiæ partes pbari. Sed dicat aliquis multa admixta esse Philosophiæ dissidentia à religione, qualia sunt apud Aristotelem.

origo p̄
 1080 mo
 raliū

obis etis

SCHOLIA PHIL. MEL.

que de æternitate mundi disputat. Multa nugati sunt Epicurei de Atomis, longe uero alienissimū est à religione, quòd docuerunt uoluptatem finem bonorū esse. Ridicula est $\epsilon\tau$ ἀπεθία Stoicorum, qui misericordiam, $\epsilon\tau$ plerosq; similes adfectus bonos uituperāt, ridiculum $\epsilon\tau$ hoc est, omnia peccata paria esse.

Ego uero nō nego in Philosophorum disputationibus multa esse, non modo aliena à religione, sed etiam falsa, $\epsilon\tau$ cum naturali ratione pugnantia, quia multa scripta sunt à parum prudentibus sine certa ratione. Plerosq; Deus ideo hallucinari passus est, ut significaret uerum ne quidem in naturalium $\epsilon\tau$ corporaliū rerum inquisitione cerni posse, si ipse non adspiret, $\epsilon\tau$ si mentes non regat suo Verbo: Paulus enim ait infatuatos esse, quia non glorificauerint Deum. Voco igitur Philosophiam, eam tātū, que nihil adfirmat, nisi certa ratione aut experientia animaduersum. Multæ ambiguae opiniones admixtæ sunt ueris præceptis ac certis, sed illas ne ueteres quidem saniores scriptores, germanam ac genuinam Philosophiam esse iudicauerunt. Et singularis prudentia est, intelligere que certa sint, que incerta. Adsentiri uero incertis $\epsilon\tau$ incompertis, eaq; pro compertis adfirmare, quod non raro accidit, res est Philosopho indignissima turpissimaq;.

Nihil adhuc de eloquentia dixi, que neq; utilitate neq; dignitate cedit alijs Philosophiæ partibus. Est aut

tenu

Philosophia
uera que.

Eloquentia

IN EPIST. AD COLOS.

rem eloquentia, non ut indocti quidam existimant, inanis quidam orationis fucus. Sed cum inuenire ea, quae ad causam quam susceperis tractandam, proprie pertinent, tum illa perspicue et cum quadam dignitate explicare atque eloqui. Nec inanem aurium uoluptatem captat, sed utilitatis, seu necessitatis causa ratio omnis dicendi animaduersa est, quia sine illis artibus, quibus eloquentia continetur, nulla grauiora causa, aut paulo obscurior doceri potest. Quoties homines de religione, quoties de alijs rebus in iudicijs aut consilijs docendi sunt, profecto summa laude dignus est is, qui obscure causae lumen adferre, qui auditores, seu iudices uelut in re praesentem ducere potest. Si Arithmeticos laudamus, quae in re uumeraria intricas rationes explicare sciunt, quantomagis disertos homines admirari debemus, quorum scientia, non exigua rei familiaris utilitas, sed iudicia ac leges, denique salus totius Reipublicae continetur. Versatur enim eloquentia circa res longe maiores, quam humanae artes aliae ferè omnes. Sed ego hic non de laude perfecta eloquentiae dicam, quae profecto una est de summis uirtutibus humanis. Haec enim ciuitates regit, moderatur iudicia, defendit leges, iusta atque iniusta populis exponit, quorum notitiam cum fateamur necessariam esse ad uitam, consequitur, ut eloquentiam etiam necessariam esse statuamus, sine qua iusta atque iniusta cognosci ac diiudicari non possunt.

Vis eloquentiae

SCHOLIA PHIL. MEL.

At hoc loco dicam tantum de his leuioribus & pu-
erilibus studijs, quæ uiam quandam ac rationē dicendi
ostendunt, de Grammatica, de Dialectica, de Rhetori-
ca. Quæ tandem ars mandata literis, sine cognitione
linguarum, sine præceptis dialectices, ac rhetorices
percipi, aut tradi potest? Quomodo sine his adminicu-
lis intelligi publicæ leges aut enarrari possunt? q̄ ser-
monem legum non assequitur, qui non perspicit ubi re-
quirenda sit definitio, ubi diuisione utendum sit in cō-
trouersijs, quæ inter se pugnent, quomodo sint ἀμφί-
βολα explicanda, quomodo cum similitudo seu uiris
species fucum facit iudici, dissimilitudo reperiēda sit,
& hoc genus innumera, obsecro, quid is in foro aut iu-
ditijs erit aliud, quàm quod in Comœdijs κῶφα πρό-
σῶπα. Cum igitur tam late pateat harum leuium ar-
tiū usus in rebus maximis atq; honestissimis, minime
sunt è scholis Christianorum extrudendæ, sed potius
summa cura discendæ atq; colendæ.

Quid, q̄ sacræ literæ sine his artibus neq; intelligi,
neq; doceri recte possunt? Quid enim intelliget is, qui
de sermone iudicare nequit, qui nullam orationis con-
struendæ aut figurarum rationem ex grammatica di-
didit. Qui nō ex Dialectica & Rhetorica didicit, quæ
sint oratiōis paulo longioris partes, quæ series sit pro-
positionum, argumentorum quæ inter se consentiāt,
quæ pugnent, ubi recte cohereant argumentorū par-
tes,

IN EPIST. AD COLOS.

tes, ubi non cohereant. Hæc qui non uidet in sacris li-
bris, qui pleni sunt subtilissimarum disputationum, is
simpliciter fateatur, se nihil intelligere. Sæpe pro-
pter inscitiam linguarum hallucinati sunt in enarrã-
da scriptura, Thomas, Hugo, & Lyranus, & alij si-
miles, sed grāmatica errata fortasse cōdonari eis po-
terant, si in longa enarratione summam tamen senten-
tiæ scriptorum quæ enarrabant, retinuissent. At dum
in enarrando prorsus discedant ab authoribus, uelut
eorum obliti, sæpe etiam dissentiant ab eis, ac aliena
à pietate doceant, non sunt digni uenia. Et hæc acci-
derunt magna ex parte propter inscitiam harum ar-
tium, de quibus nunc loquor. Quem Psalmum, quam
paginam Prophetarum isti interpretes dextre enar-
rant? Neq; enim uiderunt propositionū ac argumen-
torum ordinem. Quam infeliciter tractauerunt Epi-
stolam Pauli ad Romanos, quia oratiōis Oeconomiam
non animaduertunt.

Neq; hæc eo dico, quòd ad intelligendam scriptu-
ram nihil opus sit doctore Spiritu sancto, Ego uero
ita censeo, res spirituales recte cognosci non posse,
nisi corda nostra moueat ac doceat Spiritus sanctus.
Id quod significauit Paulus, cum inquit. Spiritualia
spiritualiter examinanda esse.

Et tamen, quoniam Spiritus sanctus docet nos per
Verbum, sermonis natura cognoscenda est. Atqui

D

SCHOLIA PHIL. MEL.

eum sine harum artium scientia nemo de sermone iudicare possit, afferre nos hoc instrumentum ad scripturae tractationem oportet.

Eloquētia do-
minum linguarum

Quid aliud est donū linguarum, nisi Eloquentia, cum aut iubeat Apostolus linguarū uarietati operam dare, propter Ecclesiae utilitatem, existimemus & nobis precipi, ut Eloquentiae studia colamus, quo rectius tractare scripturam possimus. Et quemadmodū in initio Ecclesiae donum linguarum donatum est Apostolis, ut Euangelium late spargere inter gentes possent. Ita & hoc seculo uidentur esse linguarum studia excitata ad Ecclesiasticam doctrinam repurgandam.

Quid sit δὲ
διδασκαλία

Adhuc cum Paulus scribat Episcopum debere δὲ δασκαλίαν esse, requirit ab eo, non tantum communem Christianae doctrinae cognitionem, sed etiam scientiam quandam docendi. Qui autem nullam uiam disponendae orationis, nullam argumentandi rationem norunt, qui confuse, quidquid in buccā uenit, dicunt, tantum abest, ut doceant auditorem, & dimittant de rebus dubijs certiores, ut magis etiam incertū dimittant. Et cum saepe in Ecclesia de maximis rebus controuersiae existant, nec explicare illas, nec uerum defendere scietis, qui non satis instructus est à dialectica ac rhetorica. Et haud scio an pleraeq; controuersiae, si diserte proponerentur, diiudicari ac tolli possent.

Saepe enim non de re, sed de uerbis dissensio est,
ubi in



IN EPIST. AD COLOS.

ubi in eruditi, quia non vident quid conueniat, sine fine rixantur, *δυσκώφοι δυσκώφοις* ut est in Prouerbio. Et cum de re dissensio, quoniam in disputando multa aliena à proposito admiscunt, non explicant controuersias, sed magis obscurant tractando, ut cognosci & dijudicari nequeant. Hæc uitia disputationum uident isti qui mediocrem usum artium dicendi habent. Quod cum ita sit, magna earum utilitas est in docenda Ecclesia. Atque hoc tempore in tot dissensionibus maxime oportuit eos qui præsumt Ecclesijs, his artibus instructos esse, ad sanandas mentes quæ in tanta uarietate opinionum, nihil certi constituere possunt. Neq; his alia ratione ulla consuli potest, nisi perspicue, prudenterq; docendo. Magnam partem contentionum tollent, si diligenter exposuerint *λογμαχίας* in quibus litigatur de uerbis, non de re. Si docuerint fugiendas esse quæstiones, quæ nihil ad ædificationem conducunt, quales sunt, Vtrum Deus mala efficiat, ubi sint animæ mortuorum. Huiusmodi quæstiones curiositatem alunt, non pietatem.

Reliquæ quæstiones, quarum cognitio necessaria est, quales sunt, Vtrum sola fides iustificet, an opera nostra satisfaciât pro peccatis. Quid sit fides, & quo modo fiat in animis. Quæ sit uis Sacramentorum, Quatenus traditiones humanas seruare oporteat, hæc si habeant artificem qui dilucide tractare sciet, non

difficiliter intelligentur à bonis mentibus, quæ doceri se patiuntur. Obsecro, quid illa moles commentariorum Fabri, aut Rossensis & similium, lectori conferre queat, ubi tam multa præter rem, & altera à causa congeruntur. Qui sic docent, conscientias dubitantes magis etiam perturbant. Proinde non exiguas utilitates adferunt Ecclesiæ, eloquentiæ studia coniuncta cum scientia Christianæ doctrinæ.

Conclusio

Philosophia
quædo errat

Quando autem ratio, seu Philosophia de Dei voluntate iudicat, tum ferè errat. Et quanquam per omnes fidei articulos ire possemus, & ostendere, non esse à ratione petendum iudicium de articulis fidei, tamè ne longum faciamus, contrahemus aliquot articulos in tria capita.

1
Primo enim errat ratio de rerum gubernatione, Nam etiamsi permittat, quòd Deus condiderit res, tamen offensa ratio, quia in mundo tam multa iniuste fiunt, non potest statuere, à Deo res gubernari, sed somniat, quòd Deus nunc propemodum ociosus sinat suo quodam impetu naturam ferri, sicut faber, quia nauem fecit, ubi absoluit, discedit ab ea, & committit eam fluctibus aut gubernatori. Hic doctrina Christiana diuersum docet, & monet nos, ne per Philosophiam decipiamur, id est, tum fallit Philosophia, quando de Deo, aut de Dei consilijs incipit iudicare, quia animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Significat autem

IN EPIST. AD COLOS.

autem animalis homo totam naturam hominis, non re-
nouatam à Spiritu sancto. Illa itaq; natura hominis ni-
hil potest de uoluntate Dei affirmare, quæ tantum di-
scitur ex Verbo Dei, sicut Esaias ait, Ad legem & ad
testimonium, qui non dixerit secundum Verbum hoc,
non erit ei matutina lux.

Animalis hō.

Sunt igitur sententiæ certæ & manifestæ ex scri-
ptura eligendæ, quibus discemus, nō modo res à Deo
cōditas esse, sed etiam gubernari. Deum nos alere ac
tegere, seruare alios, alios punire, nec discessisse Deū
tanquàm à nauifabrum, sed regere res, sicut guberna-
tor nauim regit, ut probant hæ sententiæ, Matth 6.
Pater uester qui in coelis est, pascit illa, Matt. 10. Duo
passeres asse ueneunt, & unus ex illis non cadet su-
per terram sine patre coelesti. Ioan. 1. Pater meus usq;
modo operatur, & ego operor, Ephe 1. Operatur o-
mnia secundum cōsilia uoluntatis suæ. Colos. 1. Omnia
per ipsum consistunt, Actorum 17. In ipso uiuimus, &
mouemur, & sumus. Psalm. 103. Dante te illis, colli-
gent. Prouer. 16. Omnes uia hominum patent oculis
eius &c. Et in oratione Dominica, Panem nostrum
quotidianum da nobis hodie, Deutero 9. Non in solo
pane uiuit homo, sed etiam in omni uerbo, quod pro-
cedit de ore Dei.

Sententiæ cer-
tæ ex scrip-
turis sunt e-
ligendæ.

Secundo, errat Philosophia de iustificatione, si sta-
tuat coram Deo, satis esse ciuilem iustitiam. At Chri-

Alius error
Philosophiæ

SCHOLIA PHIL MEL.

Iustitia Chris-
tiana.

Christiana doctrina docet, iustitiā coram Deo, fidem esse in Christum. Et sicut in apibus naturales uirtutes non efficiunt eas Christianas, aut iustas coram deo, sic nec ciuiles mores, seu naturales uirtutes nos faciūt iustos coram Deo. Habent apes prudentem, quia tecta construunt, & constituunt Rempublicam. Habent & iustitiam, quia suis regibus diligentissime obtemperant. Item iuuant se mutuo, leuant onere fessas, à ui & iniurijs abstinent. Est in eis & mira fortitudo, quia acerrime dimicant cum fucis. Postremo magna temperantia in eis est, quia & uenerem nesciunt, & mella ad usum nostrum conficiunt. Et sicut ob has uirtutes non dicuntur Christiane, ita neq; homines sunt Christiani propter solos ciuiles mores, sed quia credunt, quod propter Christum Deus peccata nobis cōdonauerit, & receperit nos in gratiam, sicut Paulus dicit, Arbitramur iustificari hominem per fidē sine operibus legis, & 1. Corinth. 1. Non gloriatur omnis caro in conspectu eius, ex ipso autē uos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

Si
mi
litu
do

Collatio e-
gregia apum
cum Christi-
anis.

Christiana
doctrina
nō tollit
mores ci-
uiles.

Neq; uero tollit Christiana doctrina ciuiles mores, sed eos exigit, & Philosophiam, seu rationem præcipiētem de ciuilibus moribus adprobat, sicut & ciuiles Magistratus adprobat, & testatur se Deum auctorem esse ciuiliū ordinationum, Rom. 13. Omnia
que

IN EPIST. AD COLOS.

que ordinata sunt, à Deo ordinata sunt, & ab his qui non habent Spiritum sanctum, tamen exigit, ut frenentur civili iustitia, ut docet Paulus, Lex est iniustis posita. Item, Lex est pædagogus. Sed eò dissentiunt ratio & Euangelium, quòd Euangelium negat civilem iustitiam iustificare coram Deo.

Tertio fallitur Philosophia, cum putat rationem satis habere uirium, ex sua natura contra uitia, nec uidet opus esse Spiritu sancto, qui & corda reddat puriora, & regat nos, ne uel ab infirmitate nature, uel à Diabolo præcipitemur in manifesta flagitia. Sed Euangelium docet cor esse impurum, & feruere concupiscentia. Item Diabolum nobis ita insidiari, ut etiam in manifesta flagitia impellat. Ideo promittit Spiritum sanctum, qui corda transformet, regat, & defendat nos. Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere, & ad Rom. 8. Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Qualis autem sit homo, & quo ruat, desertus à Deo, Saulis exemplum ostendit. Sic igitur Philosophia, seu iudicium rationis, de diuina uoluntate nihil certi affirmare potest, sed de natura rerum, deq; civilibus moribus, recte iudicare potest. Quare errant qui ex ratione, aut Philosophia iudicant de doctrina Christiana. Immo uberrima consolatio est piorum, quòd non ex rationis nostræ iudicio æstimanda est uoluntas Dei & quoties de iustificatione cogitamus, scire qd' Deus

112 error
p philosophiam

Humanarum
ratio p se nihil
habet uirium,
contra uitia.



SCHOLIA PHIL. MEL.

Philosophia
Dei donum

Redis ad
locu Pauli

solam fidem imputet pro iustitia, mirifice consolatur
animum. Rursus etiam errant ij, qui aspernantur Phi-
losophiam iudicantem de naturalibus rebus Nam id
est contemnere Dei donum cum omnibus creaturis
Dei cum gratiarum actione uti debemus, & sentire
quod sint Dei beneficia. 1. Timoth. 4. Et sicut insania
esset dicere, quod ex artis sutorie præceptis sit iudi-
candum de Christiana doctrina, ita desipiunt, qui ex
Philosophia iudicant de doctrina Christiana. Dicit
enim Petrus in .2. Prophetias non esse humana uolun-
tate editas. Rursus, ut desiperet etiam ij, qui dicerent
artem sutoriam pugnare cum doctrina Christiana, ita
desipiunt, qui naturæ & morum ciuilium cogitatio-
nem dicunt pugnare cum religione. Ideo Paulus non
ait Philosophiam malã esse, sed sic ait, Videte, ne quis
uos decipiat per Philosophiam, abusus uituperatur,
res ipsa non improbatur, ut si quis dicat, uide ne de-
cipiat te uinum. Hic etiam commemorari alij articuli
fidei possent, de quibus ratio non potest recte iudica-
re. Sed satis sit monuisse, quod de articulis fidei, non
ratio, sed scriptura consulenda sit.

Deinde quod addit, inanem deceptionem, hic sig-
nificat argumenta dei uoluntate ex Philosophia col-
lecta. Non est enim Philosophia, cum de diuina uolun-
tate ex ratioe iudicamus, sed sunt inania somnia. Sicut
Epicurus negauit Deo res nostras curæ esse, animas
immor

I N E P I S T . A D C O L O S .

immortales esse . Item Platonici disputauerunt, quomodo Deus gignat quandam cogitationem, ut eluderent dogmata Christiana de filio Dei . Et Aristoteles mundum esse eternū, nec aliquando cœpisse . Et admiscuerunt doctrinæ Christianæ Philosophiam, qui rationi tribuerunt uim efficiendæ in nobis fidei erga Deū, sine spiritu sancto . Et quidam scripsit fundamenta doctrinæ Christianæ, Platoniam Philosophiam esse, Sic pro certis affirmare, quæ ratio aut Philosophia non potest affirmare imò quæ prorsus sunt extra iuditiū rationis aut Philosophie posita, ea est inanis deceptio

Et sicut in lege præceptum est, ne quis dissimile se
men serat in eodem agro, cauendum est, ne commisce
antur Euangelij doctrina & Philosophia, sed Euan-
gelium est doctrina uitæ spiritualis & iustificationis
coram Deo . philosophia uero est doctrina uitæ cor-
poralis, sicut uides medicinam ualetudini seruire, mo-
res ciuiles communi hominum tranquillitati & iudi-
tiji exercendis : deinde alias artes aliorū usuum caus-
sa repertas esse, Geometria metitur corpora, in emē-
do, uendendo, in edificando . Arithmetica contractus,
& magnam partem societatis humanæ gubernat . Est
autem huiusmodi usus necessarius, & à Deo proba-
tus, sicut multis locis Paulus docet, utendum esse cre-
aturis Dei, cum gratiarum actione . Et tamen usus ta-
lium rerum corporalium non iustificat coram Deo, si

Descrimen
euangelij ac
philosophiæ

Geometria
Arithmetica



SCHOLIA PHIL. MEL.

cut præcepit Deus edere, neq; tamē id iustificat homi-
nem, Ita dieta uti ex medici præscriptiōe, tē pestarum
discrimina obseruare, non iustificat. Item ciuile mo-
res, ut non gerere arma, ubi leges prohibent, aut ue-
stire secundum leges, exigit Deus, neq; tamen id iusti-
ficat coram Deo, Paulus præcipit. 2. Timoth. 2. ὁ ἴσθι
ἰσχυρὸν ῥῆμα τῆς ἀληθείας. Ideo & nobis cauendum
est, ne misceamus Euangelium & Philosophiam, aut
hanc damnemus, ea ex parte, qua adprobat eam De-
us, sed rite separemus, & discernamus rationibus do-
ctrinam à Prophetia, & cuius usus causa utraq; do-
ceantur consideremus.

Postremo hoc omnium maxime refert admonere,
Ratio facili- quod facillime ratio decipitur, ut adsentiat incōper-
me decipitur tis & falsis, etiam in dijudicandis naturalibus rebus,
ut adsentia- & multa turpia contra naturam probet, quando non
tur incōper gubernatur Verbo Dei, Roma 1. Obscuratum est in-
tis & falsis. sapiens cor eorū. Item tradidit illos Deus in reprobū
sensum. Item 2. Tessalo. 2. Mittet illis Deus efficacem
deceptionem, ut credant mendacio. Item, Prouer. 29.
Cum defecerit Prophetia, dissipabitur populus. Cuius
rei multa exempla uidemus in ijs, qui sibi mortem cō-
sciuerunt, ut Seneca Marcellinum quendā prædicat
libro 11. Epistolarum. Et quā multa contra natu-
ram Diogenes fecerit, notum est. Ostendit autem De-
us nobis huiusmodi horribilia exempla, ut incutiat no-
bis me

IN EPIST. AD COLOS.

Bis metum, ne nimium confidamus uiribus nostræ rationis, & ut uerbo suo doceri & regi nos patiamur.

SECUNDVM TRADITIONEM
HOMINVM.

Traditiones hominum uocat, ritus institutos ad promerendā iustitiam, seu quod uulgo uocant, ad cultum Dei, sicut cœlibatus, aut ordines monasticæ, aut discrimina uestium uel ciborum. Est autem & hic locus sic accipiendus, quòd debeant cauere, ne ponant iustitiam in eiusmodi obseruationibus. Ritus seruare nihil nocet, quia regnum Dei, nec esca, nec potus est, sed sentire, quod promereamur iustificationem seruādis eiusmodi ritibus, id prohibet Paulus, ut si aliquis monachus seruata sua regula, sentiat se propterea iustitiam consequi coram Deo, is errat. Sicut Christus non est esca dicit, frustra colunt me mandatis hominum, sed de traditionibus infra rursus dicitur.

Regnum dei
non est esca
uel potus.

SECUNDVM ORDINATIONES &c,

Ordinationes mundi, uocat ciuiles & politicas ordinationes, ut sunt, parere magistratibus, reddere quibus iuxta leges debes, neminem defraudare, nulli iniuriam facere, non furari, non occidere, non gerere arma cum leges prohibent.

Porrò Deus erigit obseruationem huiusmodi mundi ordinationum quæ pacis publicæ caussa à magistratibus factæ sunt, Ro 13 Omnis aia potestatibus subdita

SCHOLIA PHIL. MEL.

*Iustitia ciuili-
lis nō iustifi-
cat corā deo*

fit. Et uult doctrina legis, & pœnis coherceri homi-
nes à flagitijs, iuxta illud, Lex est iniustis posita. Hæc
iustitia ciuilis, quã ratio suis uiribus aliquo modo effi-
cere potest, præstanda est, tametsi coram Deo non iu-
stificet nos sicut Paulus docet, Si per legem iustitia est,
frustra Christus mortuus est. Quare præter humanã
seu ciuilem iustitiam, necesse est fidem accedere, qua
credamus nobis propter Christum ignosci. Est igitur
Pauli sententia, Christianam iustitiam, non esse tantũ
politicam illam & ciuilem iustitiam, qualem etiam in
impijs aliquando est reperire.

ET NON SECUNDUM CHRISTVM.

Dixi supra institutam esse collationem iustitiæ hu-
manæ cum Christiana, hic igitur alterum collationis
membrum additur, cum ait, Non secundum Christum
q. d. Philosophia, traditiones humanæ, ordinationes
mundi quandam iustitiam tradunt, sed ea non est Chri-
stiana iustitia.

ET IN ILLO ESTIS CONSUMMATI.

Et adiecit rationem & definitionem Christianæ
iustitiæ, quia inquit, per Christum estis consummati
q. d. Christiana iustitia, eiusmodi quædam iustitia est,
qua Deo satisfacit, & quæ corā Deo iustificat. Sed Deo
non satisfaciunt humana illa opera, sed Christus satis-
fecit, ergo ij tantum iusti sunt, qui per Christum con-
summati

IN EPIST. AD COLOS

sumnati sunt, hoc est, qui credunt in Christum, quod per eum patri satisfactum sit, & quos Christus Spiritu sancto sanctificauit. Itaque dupliciter interest, inter Christianam iustitiam & humanam.

Primum, quia iustitia operum non satisfacit Deo, Dupliciter
nec iustificat coram Deo, quia clare scriptum est, Non interest in-
iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Tamen si ter Christiana-
preclara opera faciat Paulus, sit castus, largiatur ele nam iustiti-
mosynas, doceat Ecclesias, multas iniurias perferat, & humanam
benefaciat inimicis, tamen haec opera non iustificant
eum coram Deo, sicut ipse praedicat, Nihil mihi consci-
us sum, at in hoc non iustificatus sum. Et ad Philippen-
ses, Ut inueniar in illo non habens meam iustitiam quae
ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu. Et
quotidie orant sancti, dimitte nobis debita nostra. Non
igitur efficit consummatos coram Deo ulla operum iu-
stitia, At iustitia fidei, seu credere quod propter Christum
placeamus patri, reddit nos consummatos, hoc est, iu-
stificat nos coram Deo, Et quanquam sit in nobis pec-
catum, tamen id tegitur, si credimus nos propter
Christum receptos esse in gratiam, sicut Paulus testa-
tur ad Rom. octauo, Nulla nunc damnatio est his qui
sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnemambu-
lant. Et pertinet huc Psalmus, Beati quorum remissa
sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Signi-
ficat enim Propheta, coram Deo ne quidem optima

SCHOLIA PHIL. MEL.

opera posse consistere, si Deus reuelet immundiciam nostram, quæ quidem etiam in optimis operibus est, proinde iustificari sic nos dicit, si tegat Deus peccatū nostrum, Tegit autem in his qui sibi propter Christū ignosci credunt, Christus enim mediator est, inter nos ac Deum, Christus propiciatorium est, quo arca hoc est Ecclesia tegitur, ne ira patris absumamur. Proinde confugiant ad hunc portum, in hāc uocem intueantur pauide conscientie. Et in illo consummati estis.

Quod si iustitia nostrorum operum, coram Deo consummati & perfecti essemus, desperanda salus esset ijs, qui non adferunt ad Deum bona opera. Sed cū per Christum perfecti simus, eam perfectionem patri ostendamus, ea perfectione credamus tegi nostram immundiciam & nobis ignosci. Cum pater pronunciet nos per Christum consummatos esse, blasphemia est, relicta ea perfectione, colligere ex nostris operibus perfectionem ac iustificationem coram Deo.

Neq; tamen ociosa est fides aut sine bonis operib. Talis enim agnitio misericordie Dei, gratis iustificantis eos qui credunt, non potest non omnis generis bona opera gignere. Sicut iohannes inquit, Omnis qui peccat, non uidit eum, nec nouit eum. Qui enim agnouit misericordiam Dei, & concepit consolationem ac remissionem peccatorum per Christum, is uidet presentiam Dei, & rogat se à Deo gubernari, & sicut

IN EPIST. AD COLOS:

sicut Paulus ait, transformatur à Spiritu sancto, ad exemplum uoluntatis Dei, & induit imaginem iustitiae Dei. Adhuc uidet immundiciem carnis, & nouit iram Dei aduersus peccatum. Itaq; ex animo tam odit, & fugit peccatum.

Secundo interest inter humanam iustitiam ac Christianam, sic enim docendi causa loquar, quia Spiritus Sanctus efficit Christianam iustitiam cum preterrefacit corda, & ostendit nobis immundiciem nostram, ac rursus erigit corda per fidem, & adfert reliqua dona castitatem, patientiam. Eodē pertinet hic quoq; Pauli locus, quòd per Christum consummati simus, Nam Spiritus Christi sanctificat corda, & renouat, & perficit. At uero iustitiam externorum operum seu legis, ut uocat Paulus, ratio suis uiribus utcunq; efficit, quae tamen cor non potest mutare. Manet in corde ignorantia & contemptus Dei, & diffidentia, & concupiscentia omnis generis.

Huiusmodi morbos ratio non modo tollere nō potest, sed ne uidet quidem, iuxta illud Hieremiae, Prauum est cor hominis & inscrutabile. Hæc cum sæpe iam tractauerimus, tamen cogit nos Pauli textus toties idem dicere, à cuius sententia mihi discedendum esset, si nolim hæc repetere. Ego autem hoc unū summo studio ago, ut germanam sententiam Pauli simplicissime exponam. Et quia bona pars theologorū scho-

lasticorum nec iustitiã fidei docet, nec discrimen ostendit Philosophicæ & Christianæ iustitiæ. Libenter in hoc loco cõmorari soleo, ut aduersus perniciosos istorum errores, pios lectores, pro uirili muniam. Neq; enim obscurum est summã Christianæ doctrinæ pendere à cognitione iustitiæ fidei.

QVONIAM IN ILLO INHABITAT
OMNIS PLENITVDO &c.

Est autem hæc caussa, quare per Christum consummati simus. Quia in Christo habitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, quia in Christo Deus est, ideo & satisfacit pro peccato, & delet peccatum, & æternam mortem abolet, & sanctificat eos, qui in ipsam credunt, sicut & 2. Corint. 5. ait, Quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata &c. Neq; enim potest aut peccatum tolli, aut mors aboleri, & uita æterna donari, nisi à Deo. Humana iustitia non abolet mortem, non adfert uitã æternam, sed morientibus hominibus, ipsa quoq; aboletur & confunditur, sicut ait Psal. Non iustificabitur in conspectu eius omnis caro. Ideo Esaias cum uocat Christum Deum & patrem futuri seculi, testatur, quòd diuina potentia iustificemur & uiuificemur. Igitur & Paulus dicit, ideo nos consummatos esse per Christum, quia Deus in eo habitat.

Corpo-

IN EPIST. AD COLOS.

CORPORALITER

Ego sic intelligo Paulum uelle dicere non modo, quòd uere Deus sit cum Christo, sed etiam, quòd diuina natura induerit humanam, & facta sit caro, quasi diceret Paulus, In alijs sanctis habitat etiam Deus, sed spiritualiter, hoc est, mouet & agit, & gubernat eos, sicut Paulus Ro. 8. Qui aguntur spiritu Dei, filij Dei sunt: sed in Christo corporaliter habitat, hoc est, sic est in eo, non tantum ut moueat eum, sed ut sit eadem persona cum corpore, Ideòq; & Christus proprie est redemptio, sanctificatio, pater futuri seculi, quia ipse est natura Deus, sanctificans & uiuificans, ideoq; per Christum consumati sumus, quia est natura Deus, qui & redemit & sanctificauit nos & c.

Sed dicat aliquis, cur ait tota plenitudo diuinitatis cum filius tantum induerit carnem? Respondeo. Paulus uocat totam plenitudinem, non de personis, sed de potentia loquens, q'd. Non sunt in Christo certa quedam dona, sicut in alijs sanctis, sunt enim diuisiones gratiarum, sed ipsa natura diuina infudit se in carnem cum tota sua potentia, & ita se infudit ut corporaliter ibi habitet, sicut & Iohannes ait, De plenitudine eius omnes accepimus.

Vulgarius sic enarrat hunc locum, opponit enim uocem corporaliter, nomini umbræ seu figuræ, secutus exemplū paulo inferius positum, ubi Paulus anti-

SCHOLIA PHIL. MEL.

thesin fecit, umbræ & corporis, inquit, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem est Christi. Ad eum locum alludit Vulgarius, & sentit sic esse hoc loco accipiendam uocem corporaliter, non de natura Christi, sed de actione, seu effectu, quasi dicat Paulus, Ceremoniæ legis, quia umbra sunt, non iustificabant, sed significabāt tantum iustitiam fidei, quæ erat in Euangelio reuelanda. Sed Christus exhibet eam iustitiam uere, obolet peccatum, mortem, & sanctificat credentes. Hæc interpretatio mihi non displicet, nec à mea dissentit. Nos autem non tantum effectus Christi sed naturam etiam describi diximus.

QUI EST CAPUT OMNIS PRINCIPA: & c.

Caput hoc loco significat principem seu dominū. Non enim uocat Paulus Christum hoc loco caput Ecclesiæ tantum, sed principatum ei tribuit supra omnes potestates in cælo & in terra, & significat eum regnare diuina potentia, seu sedere ad dextram patris supra omnes creaturas in cælo, terra, & inferis, quasi sic dicat, Quia Christus regnat supra omnes creaturas, ergo potest nos defendere aduersus Diabolum & aduersus mortem ac peccatū, ut Romanorum octauo ait, Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Supra monui in hac collatione definitionem Christianæ iustitiæ contineri, dixit enim, nos per Christū consummatos esse, id est, Christum satisfecisse pro peccatis

.IN EPIST. AD COLOS.

peccatis nostris, & sanctificare credentes. Nunc igitur absoluit definitionem, & docet, quid agat Christus in credentibus, facit itaque duo membra Christiane iustitiae, mortificationem & uiuificationem, sicut & Christus duo membra facit, Lucae ultimo, Praedicari poenitentiam, & remissionem peccatorum. Et in Psal. Bene placitum est Domino super timentes eum, & super his qui sperant in misericordia eius.

Mortificatio seu poenitentia, est cognoscere peccatum, & uere terreri iudicio Dei, sicut Hierem. 2. ait Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui. Nec potest esse fides sine tali timore, uel terrore, sicut Iesaias ca. ultimo, Ad quem respiciam? nisi ad pauperulum & contritum spiritum, & trementem sermones meos, & Iohelis 2. Scindite corda uestra.

Viuiificatio, est conscientiam erigi per fidem, seu fiduciam, & consolationem capere, ita, ut credat Deum condonasse peccata propter Christum. Et cum Christus consolatur ad hunc modum cor, adfert uitam eternam, sicut ait, Qui credit in me, non morietur. Adfert & dona alia spiritus, charitatem, humilitatem, castitatem etc.

Per quem & circumcisi estis circumcissione, quae fit sine manibus, dum ex

Mortificatio & uiuificatio sunt duo membra Christiane iustitiae.

SCHOLIA PHIL. MEL.

uistis corpus peccatorum carnis, per circumcisionem Christi, consepulti simul cū illo per baptismum, in quo simul etiā cum illo resurrexistis, per fidem operationis Dei &c.

Hic locus ordinem ac formam iustificationis nostræ tradit, describit enim mortificationem, seu pœnitentiam, & uiuificationem ac remissionem peccatorum. Iustitia propriæ ac uere fides est, qua credimus nos recipi in gratiam à patre propter Christum. Sed hic docendi sunt in homines, quomodo fidem concipiāt. Nā multi somniant se credere, cum longissime à fide ab sint. Atq; ea fidei hypocrisis, nocentissimam securitatem in illis parit.

Christus inquit Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mūdum de peccato, iustitia ac iudicio. Porrò arguere est condemnare ac perterrefacere. Est itaq; pœnitentia, ita agnoscere peccata, ut uere sentiamus iram ac iudicium Dei aduersus peccatum, ac uere terreamur,

Sciant autem lectores hoc loco his uerbis mortificationis, circumcisionis, sepulture, baptismi, nihil aliud nisi pœnitentiam significari. Sæpe uarietas nominum imperitis multum negotij facit, quare arbitrabar prodesse, ut hoc in præsentia monerem. Verum ideo multis nominibus Paulus usus est, ut pœnitentiæ uim rectius

IN EPIST. AD COLOS.

rectius intelligeremus. Scholæ fecerunt partes poenitentiae tres, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quã partitionem magis ab Ecclesiæ ritibus sumserunt, quam ex scriptura, nam satisfactio sumpta est, à censuris ecclesiasticis, quæ primum institute sunt, non ut satisfacerent pro peccatis, aut ut mererentur gratiam, sed ut Episcopi uel ostenderent Ecclesiæ exempla gratiæ Dei, qui lapsos recipi uellet, uel explorarent lapsos, an ex animo resipuissent. Huius moris causam cum non animaduertent scholastici Theologi, & more antiquo nomen tamen satisfactionum extaret, arbitrati sunt satisfactiones certa opera esse, per quæ pro peccatis satisfaceret: sed hæc optimo prorsus dissentit ab Euangelio. Nam nulla est pro peccatis nostris alia satisfactio, nisi mors Christi, ut multis locis scriptura docet, & testatur Epistola ad Hebræos. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei. Proinde sacerdotio Christi detrahit, si quis satisfactionibus nostris docet placari Deum.

Confessionem à more Ecclesiæ sumptam esse satis constat. Scriptura uocat confessionem, quando conscientia territa coram Deo. ita agnoscit peccatum, ut fateatur se iuste condemnari, nec accusat iudiciũ Dei. Sed tantum misericordiam & gratiam implorat, & Deo laudem tribuit, quòd iustificet peccatores. Talis

SCHOLIA PHIL. MEL.

est confessio Dauid, Si dixerit, non places, praestosuma
faciat quod bonum est coram se. Talis est confessio Da
nielis, Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio. Nō
intelligi hoc genus confessionis, nisi in ueris pauori
bus & afflictionibus acerbissimis potest, ubi confite
ri, est agnoscere iustum iudicium & iustam iram Dei,
& cedere uoluntati Dei, & tamen implorare miseri
cordiam. Sicut docet Psalmus, Dixi, confitebor aduer
sum me iniustitiam meam Domino, & tu remittis im
pietatem peccati mei, pro hoc orabit ad te omnis san
ctus. Ad hos adfectus referendum est, quod quidam
docuerunt poenitentiam ex amore iustitiae nasci de
bere.

Contritionis nomen magis proprie respondet no
mini poenitentiae, si tamen intelligas non humana di
ligentia simulatum dolorem, sed ueros terrores quos
Deus incutit, cum ostendit nobis peccata nostra, qua
lis erat dolor, uel Dauidis cum à Nathan obiurgare
tur, uel Pauli cum conuerteretur. Paulus ad Roma
nos pudorem seu confusionem etiam uocat. Sunt enim
in contritione, metus iudicij diuini uerus, non simula
tus, agnitio peccati, & pudor coram Deo. Nec opus
est hos adfectus subtiliter discernere. Nec est opus
subtiliter disputare, quid inter cōtritionē Iudae, & cō
tritionem Petri intersit. Satis est hoc tenere, quod qui
in illis pauoribus concipiunt consolationem ex Euan
gelio,

IN EPIST. AD COLOS.

gelio, & eriguntur, hi Petri penitentiam imitantur.
Qui nō uolunt Euangelio credere remittenti peccata, hi iude pœnitentiam sequuntur.

Hic pœnitentiæ uim uaria uocabula describunt. Mortificatio, significat non tantum externa membra continere, ut quidam interpretantur, sed significat uere mori, hoc est per terrefieri, & expauascere cognita magnitudine peccati, et ira Dei. Hic uocat mortificationem, exuere corpus peccatorum, neq; enim est pœnitentia tantum frenare externa membra, coherent enim hæc etiã Hypocritæ. Sed exui concupiscentiam oportet, hoc est per mortem aboleri, ut noua creatura & spiritualis uita succedat, & cum corpus peccatorum nominat, non tantum intelligi uult externa malefacta, sed significat totam carnalem naturã corruptam esse peccato originis.

Significauit pœnitentiam & circumcisio. Nam præcisa præputij caro signum fuit, quod hæc caro sit addicta morti propter peccatum. Et hic ait circumcisos esse, quia id quod significabat circumcisio, consecuti erant, significabat enim circumcisio mortificationem, & promissionem gratiæ per uenturum Christum. Designat pœnitentiã etiã Baptismus, sic enim docebantur hi qui baptisabantur, Agite pœnitentiã.

Sic igitur concipitur fides, quæ iustificat, cum cor

SCHOLIA PHIL. MEL.

da perterrefacta audiuit promissionem gratiae, & remissionis peccatorum. Et fides, cum erigit, & consolatur pauidas conscientias, iustitia est coram Deo, & ut Paulus ait, pacem nobis coram Deo adfert, id est efficit, ut conscientiae sint tranquille, & gaudeant sibi Deum placatum esse. Non igitur sine poenitentia seu contritione fides sentiri potest. Idem docuit hoc loco Paulus, cum ait, primum esse circumcisos, mortificatos, baptisatos: postea addit, resuscitados esse cum Christo, per fidem. Estq; in primis obseruanda particula, quod inquit nos PER FIDEM resuscitados esse. Non igitur aliqua merita nostra, aut satisfactiones reconciliant Deum, aut pacem adferunt conscientiae, sola fides est, quae in illis terroribus erigit nos, & coram Deo iustificat.

Duas igitur perfectae poenitentiae partes esse intelligamus, contritionem seu mortificationem, & uiuificationem, seu iustificationem, cum per fidem consequuntur remissionem peccatorum, & pacem mentes territae. Et quia per hanc poenitentiam noua uita cordibus innascitur, sequitur, ut & externa membra contineantur, ne quid designent contra uoluntatem Dei, ἀλλος βίος, ἀλλή διαταῖα inquit, cum enim alia uita sit, & natura cordis renouati à Spiritu sancto, necesse est & mores alios esse. Et per omnem uitam ad hunc modum perficiuntur, ac renouantur sancti,
ut magis

IN EPIST. AD COLOS.

ut magis atq; magis agnoscant immundiciem suam, incredulitatem, & alios morbos, & rursus erigantur per fidem, & crescat fides cū omnibus fructibus suis. Sic enim ait Paulus, Is, qui intus est, renouatur de die in diem.

Diligenter est hoc loco obseruandum, quod Paulus ait, nos esse per Christum circumcisos. Sic enim loquitur, in quo & circumcisi estis, ut intelligamus spiritu Christi poenitentiam effici in cordibus. Non est igitur simulatio tristitiæ intelligenda poenitentiæ seu opus aliquod externū, sed opus Spiritus sancti est, qui corda per uerbū arguit de peccato, de iustitia, de iudicio. Nam ratio non uidet incredulitatem esse peccatum, & quia non nouit iustitiam esse, credere in Christum ideo conatur se iustificare suis operibus. Id quoq; arguit Spiritus sanctus. Et de iudicio arguit nos, q̄ concupiscentiam non iudicemus, non condemnemus, sed amemus. Deinde consolatur etiam & erigit conscientiam territam, cum annunciatur remissio peccatorum quæ cum sit gratiæ, non iræ prædicatio, propria Euāgelij est. Sicut itaq; Christus Lucæ ultimo præcipit prædicari poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine ipsius, ita intelligamus has duas esse partes doctrinæ Christianæ: alteram, quæ ostendit, & accusat peccatum, quam ad rem & legis prædicatione, Christus usus est Matth. 5. Nam per legem cognitio



SCHOLIA PHIL. MEL.

peccati est, ut ait Paulus. Altera est, quæ proprie habet Euangelij nomen, scilicet prædicatio remissionis peccatorum & promissio spiritus sancti. Sic Prophetæ Nathan duplex est prædicatio. Primū enim oburgat regem propter admissum adulteriū, postea territum consolatu, adnuncians remissionem peccatorum, inquit enim, Abstulit Dominus peccatum tuum.

Neq; dissimilandum est, quod hoc loco Paulus fidem esse dicit efficaciam Dei, sic enim ait, Per fidem efficaciam Dei, *ὅτι τῆς πίστεως ἡ ἐνδραχίς τοῦ θεοῦ*. Monet enim fidem esse opus Dei, quo à morte ac paucibus liberamur, & quo noua uita in credentibus creatur. Non igitur potest suis uiribus ratio fidem in nobis efficere. Et quantum inter iustitiam Philosophicam, & Christianam intersit, hinc intelligi potest, longe enim errant, qui Christianam iustitiam nihil esse arbitrabantur aliud, quàm ciuiles mores.

CONDONANS OMNIA.

Viuificatio seu gratiam, & donationem Spiritus sancti, seu gubernationem per Spiritum sanctum. Hæc duo uarijs figuris hoc loco tractauit Paulus. Primū enim simpliciter dicit, condonans omnia delicta. Postea figuras subiicit, delens chirographum quod contra nos est, quod erat nobis contrarium per leges, id est, tollens malam conscientiam, quia quando Deus remisit peccata

IN EPIST. AD COLOS.

eata, efficit pacem & gaudiū in cordibus nostris per fidem, ut audeamus statuere, quod ignouerit nobis, & audeamus eum adpellare patrem, & sentiamus quod tegat & iuuet nos in omnibus periculis, sicut Rom. 5. ait, iustificati per fidem, pacem habemus per Dominum nostrum Iesum Christum: & addit, per quem habemus adcessum, quasi dicat, per fidem in Christum nos ad patrē adcedere, & placare eū, & impetrare oīa, quæ nomine filij petimus, sicut & Hebræos. scriptum est, Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Conscientiam adpellat chirographum, quia testificatur contra nos, & cōdemnas nos, sicut est in Psal. Conscientia
chirographū Peccatum meum in cōspectu meo semper. Et quia lex iram efficit, hoc est, terret conscientiam ostenso peccato, ideo addit chirographum illud aduersari per decreta, id est, per legem. Legem enim decreta uocat, ut distinguat à spiritu, sicut aliās literam uocat, sic & aliās inquit, Aculeus mortis peccatum est, uirtus peccati lex, id est, ipsum peccatum terret, & occidit nos, sed non occideret, nisi lex ipsum ostēderet nobis, nisi per legem cognosceremus iram Dei.

Legem uocat testimonium, quia testificatur contra nos, quòd simus maledicti, quòd simus rei mortis, iuxta illud, Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis &c. Est igitur Chirographum deletum, per remissionem peccatorum, hoc

SCHOLIA PHIL. MEL.

est, mala conscientia sublata est, donata pax est, & uis legis obolata, sicut inquit alias, Absorta est mors in uictoria.

ADFIXVM CRVCI.

Cum ait adfixum Chirographum cruci, alludit ad morem trophaeorum erigendorum, & inde metaphoram sumpsit. Erat enim mos ijs locis, ubi hostes superati erant, erigi trophaea, hoc est, columnas uel arcus, in quibus scribebant aut pingebant rem gestam. Sic Paulus ait, Christum adfixisse Chirographum crucis, id est, trophaeum erexisse, tanquam in quo scripserit aut pinxerit uictoriam suam. Porro, ea figura nihil aliud significat, nisi Christum uicisse, & eam uictoriam omnibus gentibus palam fecisse per resurrectionem, & per spiritum sanctum.

Placet & haec sententia. Chirographum esse adfixum cruci, id est, peccatum seu mortem esse crucifixam seu abolitam, qua prosopopoeia uidemus, & aliis Paulum usum esse, Rom. 7. De peccato damnauit peccatum. Item, Ero mors tua o mors. Et Ephe. 2. Per crucem interficiens inimicitias nostras.

Videtur autem ideo Paulus his figuris tanquam pinxisse triumphum Christi, ut uelut tabulam nobis proponeret, in qua semper intueretur conscientia pauca, ne fidem excuti nobis per desperationem sineremus. Magna uis est Satanae, qui corda nostra uarie oppugnat

IN EPIST. AD COLOS.

oppugnat, & cum ad alia peccata, tum ad desperationem impellere conatur. Sed hæc pictura commune faciat nos, ut sciamus nobis auxilium à Christo promitti, ut sciamus à Christo fractam esse Satanae potentiam. Proinde non obiter hæc pictura prætereunda est, sed ad eam resistere p̄ij, imò semper in animo circumferre eam, semper intueri tota mente debent.

EXPOLIATOSQUE PRINCIPATUS ET POTE.

Quòd ait spoliatos esse principatus, ad alteram partem uiuificationis pertinet, scilicet, quòd fideles gubernentur per spiritum sanctum. Impij sunt in regno tenebrarum & potestate Diaboli, qui impellit eos ad peccandum, sicut 1. Iohan. 1. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat. Contra fideles sunt in regno Christi, ubi Christus per spiritum sanctum custodit & defendit eos aduersus insidias Diaboli, ne ruant in peccata, & ne pereant, sicut oramus, Adueniat regnum tuum: & adiecit, potestatem tenebrarum esse traductam, seu per contumeliam ostentatam, & ductam in triumpho, significat Euangelium prædicatum esse in toto orbe terrarum, sicut dicit, Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio, qui princeps mundi iam iudicatus est.

EPILOGVS.

SCHOLIA PHIL. MEL.

NE QVIS IGITUR VOS IUDICET
IN CIBO AUT POTU &c.

Hic Epilogum instituit, quia enim ante, quid sit Christiana iustitia, docuit, eamq; contulit cum carnali & civili iustitia, adijcit Epilogum de ceremonijs & politia Mosaica, & de traditionibus humanis, quasi sic dicat, Cum Christiana iustitia sit mortificatio & uiuificatio, ergo non est exigenda obseruatio ceremoniarum legis Mosaicæ, aut traditionum humanarum de uestitu, discrimine ciborū, & similibus corporalibus rebus, quemadmodum & Christus dicit, Regnū Dei non uenit cum obseruatione. Supra nondum aperte dixerat, non esse exigendā obseruationem legis aut traditionum, tantum hoc docuerat, quid inter sit inter Christianam iustitiam, & eam quæ collecta est humanis uiribus ex lege & traditionibus humanis. Nūc autem aperte dicit, non esse exigendam obseruationem legis & traditionum, seu non peccari, quando non sunt traditiones seu legis ceremoniæ, sic enim accipiendum est uerbum, iudicet, quia iudicare est conscientias arguere & obligare.

Traditiones
humanas ne
gligere, non
est peccatū.

Estq; hic locus maxime omnium obseruandus & tenendus, ut certo scias, non esse peccatum traditiones humanas negligere, sed hac de re postea dicemus.

QVE SVNT VMBRA FUTVRORVM.

Vmbrans

IN EPIST, AD COLOS.

Umbra exponunt τύπον, quasi sic dicat, Lex nō iustificat, ergo ceremoniæ non sunt necessariae, sicut & Actuum 15. traditur. Quid igitur fuerunt ceremoniæ? τύποι Christi, ut Pascha significat mortem Christi, Arca significat Ecclesiam, Propiciatorum Christum, qui placaturus erat nobis patrem. Hanc expositionem non improbo, sed non satis explicat legis naturam, propterea sic accipio hanc Pauli sententiam, Lex est umbra futurorum, id est, Lex tota data est non ut iustificet, sed ut significet iustificationem, quæ per Christum promissa erat. Et ceremoniæ cum fierent, non iustificabant, sed admonebant promissæ iustificationis. Sic iustificabantur David, Samuel, & similes, non quia ceremonias faciebant, sed quia cum facerent ceremonias, credebant promissam esse iustificationem per Christum. Sicut de Eucharistia nos dicere possumus, manducatio corporis ipsa non iustificat, sed admonet nos remissionis peccatorum promissæ credentibus. Cum igitur credimus, iustificamur. Ita totam legem hic complectamur, quia finis legis Christus est. Tota enim lex ideo data est, ut significaret Deus, se Christum missurum esse, per quem iustificaret omnes.

Ceterum singulæ ceremoniæ aliquam partem historiae significant, sed est periculosum allegorias quærere, & conscientijs non prodest. Dicat aliquis. Quid

SCHOLIA PHIL. MEL.

igitur opus fuit tam multis legibus & ceremonijs? Re-
 spondeo. Deus elegit aliquem certum populū, in quo
 se ostenderet mundo, & cui Verbum suū traderet, et
 ubi Christus nasceretur, & ubi extarent testimonia
 de nato Christo. Sicut Paulus Rom. 3. & 9 docet. Er-
 go Deus quandam πολιτείαν & corporale regnum
 usq; ad aduentum Christi constituit, & ab alijs genti-
 bus discerni posse uoluit, ideo peculiare ritus tribuit
 Neq; sanè potest esse politia sine multis legibus. Vo-
 luit autem Deus legis duo officia esse.

Primum, coercere carnalem hominem, sicut Pau-
 lus dicit, Lex est iniustis posita, & lex est pedago-
 gus. Itaq; multis legibus & ceremonijs assuefieri &
 coerceri Israëlitae uoluit, & semper uult omnes ho-
 mines coerceri aliquibus legibus, ideo & gentibus
 dedit magistratus & leges.

Secundum officium legis est, terrorem inculcere,
 condemnare, & humiliare, ut sentiamus nos esse pec-
 catores, & cogamur quærere gratiam & iustificatio-
 nem per Christum, sicut Paulus dicit, Per legē cogni-
 tio peccati. Item, conclusit omnia sub peccato, non ut
 perdat, sed ut omnium misereatur. Hoc est summum
 legis officium, humiliari per legem. Simul autem lex
 admonet, quòd non ideo condemnet nos Deus, ut per-
 dat, sed ut misereatur nostri, & per Christum iustifi-
 cet. Fuerunt autem & ob hanc causam multæ leges,
 ut mul-

IN EPIST. AD COLOS:

ut multipliciter condemnaremur, & peccatum abundaret, ut ait Paulus, & magis nos occideret per multas leges. Sic ait & Petrus in Actis quod neque nos neque patres nostri portare potuimus. Neque tamen Lex damnat tantum, sed admonet tot ceremonijs etiam promissionum de Christo.

Sic in genere accipio legem esse umbram futurorum, id est, totam legem significare promissam per Christum iustitiam.

Quoties autem aliqua Moysi lex inciderit tractanda, profuerit docere, quod Deus dederit legem propter has duas causas, ac coercendam carnem, & ad terrendum seu humiliandum.

CORPUS AVTEM CHRISTI.

Id est, iustificatio contingit per Christum, in quem quisquis crediderit, is tam consecutus est iustificationem, ergo non habet opus ceremonijs legis, ut per eas iustificetur, cum ne quidem partes per observationem legis iustificati sint, sicut in Actis testantur Apostoli. Nam illae ceremoniae fuerunt signa uenturi Christi & promissae iustitiae per Christum.

Quid igitur, inquires, opus erat observatione legis? Hac de re paulo ante diximus, sed nihil uetat saepius haec repetere, ut clarius intelligatur quid sit iustitia, quam Euangelium praedicat. Magna pars Theologorum nostrorum, in hoc errore fuerunt, ut som-

SCHOLIA PHIL. MEL.

videntur duos esse legumlatores à Deo missos, Moysen
 & Christum, qui tanquam πολιτείας humanas con-
 stituerent, in quibus civiliter uiueretur. Hi iustitiam
 esse intellexerunt legis tempore, opera à Mose præ-
 cepta. Euangelij tempore, opera præcepta in Euan-
 gelio. Nihil hoc errore perniciosius est, nam adparet
 ex hoc fonte multas hæreses natas esse. Quid se fellit
 Mahometum? nisi quòd iudicauit iustificari homines
 civili iustitia, seu operibus legis.

Nec arbitratus est Christum ob aliud missus esse,
 nisi ut leges ferret eiusmodi, quæ Gentes Iudeis adiun-
 gerent, quæ similes πολιτείας ubiq; gentium consti-
 tuerent. Id cum non successisset, ipse excerpfit &
 ex lege, & ex Euangelio civilia præcepta, eaq; tra-
 didit dissidentibus tunc inter se populis, docent eos ta-
 lium operum obseruatione coram Deo iustificari. Fe-
 fellit, ut adparet, error idem Iulianum Apostatum, &
 alios multos. Porro longe aliam iustitiam docet Euan-
 gelium, nec uenit Christus, ut nouam aliquam legem
 ferret, ut ubiq; similes πολιτείας constitueret. Longe
 alia causa aduentus eius fuit, uenit enim ut prædica-
 ret remissionem peccatorum, ut pro peccatis nostris
 satis faceret, ut donaret Spiritum sanctum, ac uitam
 eternam. Hanc itaq; iustitiam docet Euangelium cre-
 dere quod gratis condonentur nobis peccata, & q; si-
 mus recepti à Deo in gratiam, q; coram Deo iusti re-
 putemur

IN EPIST. AD COLOS.

putemur, non propter ulla nostra opera, sed propter Christum. Ad eum modum ab initio patres iustificati sunt. Abel, nō quia sacrificauit, placuit Deo, sed quia credidit sibi ignosci. Erat enim promissa gratia in his uerbis, Hoc semen conteret caput tuum, Gen. 3.

Dauid iustificatus est corā Deo, non quia legis opera fecit, sed quia credidit se propter promissum Christum in gratiam recipi, sicut ipse fatetur, Beatus cui non imputauit Dominus peccatū. Nam, ut Paulus argumentatur, si iustificatio est non imputari peccatū, ergo non est aliquod nostrum opus. At fides illa in Dauidē, obedientiam pariebat, ut propter uoluntatē Dei præstaret opera legis & uteretur eis, uelut exercitijs fidei suæ. Nā oportet esse aliqua fidei exercitia in hac uita. Nō itaq; lex tradita est, quia iustificaret, sed quia Deus uoluit illum populum certa ^{uoluntate} separare à gentibus, ut esset aliquis certus populus, in quo promissiones reuelarētur, in quo Christus nasceretur, qui testificaretur de Christo. Proinde non magis iustificabant Iudæos ritus sui, quàm nos Saxonice ^{uoluntate} iustificanti. Sed illi ritus, præterq̄ q̄, discernebant eum populum à gentibus, etiam erant figuræ, & Sacramēta promissi Christi. Sic & hoc loco Pauli sententia accipienda est, legem fuisse umbram futurorum, corpus autem, id est, ipsam iustificationem, & sanctificationē contingere per fidem in Christum.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Ad extremum hoc quoque monendi sunt lectores, quosdam interpretari Pauli sententiam de iustificatione hoc modo Fatentur ceremoniarum observationem non iustificare, quia hic Paulus de ceremonijs aperte loquitur, et uetat eas tanquam necessarias exigere. Sed iudicant Decalogum iustificare, seu, ut uocant opera moralia, neque enim praetermittere illa licet. Estque haec Origenis sententia, et quorundam qui eum secuti sunt. Sciant autem lectores eam interpretationem nullo modo ferendam esse, pugnat enim ex diametro, et cum Pauli sententia, et cum alijs scripturis.

Nam ex tota disputatione ad Romanos clare apparet, quod nec moralia opera iustificent. Ibi enim docet omnes sub peccato esse, omnibus deesse gloriae Dei, ubi certe complectitur etiam eos qui moralia opera, seu Decalogi externa opera praestituerunt. Adhaec, cum ubique adfirmet Paulus, iustificari nos gratis, non recte sentiunt, qui arbitrantur nos moralibus operibus iustificationem mereri. Denique si per moralia opera iustificamur, frustra Christus mortuus est. Huc pertinet etiam id quod ad Ephesios scripsit, Gratia estis saluati per fidem, et hoc non ex uobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Quo in loco adimitur omnibus operibus iustificatio, ac tribuitur fidei, qua credimus nobis ignosci propter Christum.

Neque enim uocat Paulus fidem, tantum historiae
cogni-

IN EPIST. AD COLOS.

cognitionem, quam habent etiam impij, & demones. Sed uocat fidem, quæ adsentitur promissioni gratiæ et iustitiæ, quæ per Christum nobis offertur, sicut ad Romanos testatur, ubi ex natura promissionis colligit, quòd sola fide iustificemur, sic enim ratiocinatur, Cū promissio facta sit, necesse est quòd fides iustificet quia fide, non operibus promissiones accipiuntur. De ea igitur fide loqui cum constat, quæ promissioni iustitiæ adsentitur. Hæc uero fides cernitur, quādo erigit nos territos iudicio Dei. Vbi profecto adparet, quod moralia opera, non possint adferre pacem conscientiæ, sed intuenda est in Christo promissa gratia. Ea fides, pacem ac uitam æternam in corde parit.

Origenes non satis animaduertit, quid uocet Paulus fidem, itaq; fallitur, cum tribuit iustificationem moralibus operibus, non fidei. Hæc ego pio studio lectores monendos esse duxi, ut istius commentarios cum iudicio legant. Si quis alio consilio putat à me magni nominis authorem reprehendi, is profecto fallitur. Ego enim in hoc commentariolo, non aliam ob causam toties recitavi, ac repetiui sententiam Pauli de iustitia fidei, nisi quia uideo hanc doctrinam in his rixis Ecclesiasticis obscurari. Et uereor, ut ad posteritatem incorrupta peruentura sit.

Atqui hæc præcipua doctrina Christianæ pars est, quam qui non intelligit, planè non nouit Christum.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Sed dicat aliquis, cur exiguntur opera Decalogi, siquidem nō iustificant. Nam cum Paulus ideo ceremonias prætermitti sinat, quia non iustificat, videntur eadem ratione posse prætermitti opera decalogi. Hac de re infra dicemus, ubi de abrogatione legis disputabitur. Sed ut breuiter ad hanc quæstionem hic quoq; respondeam. Ceremoniæ non sunt iustitia cordis, sed ritus descripti certis tēporibus ac locis. Fides aut iustitia cordis est. Sed cum obseruatio rituum nihil ad cordis puritatem pertineat, non adfert eam secum fides. Porro ad cordis puritatem pertinent præcepta Decalogi. Ideo fides, quoniam cor purificat, adfert secum charitatem, castitatem, & similes fructus, de quibus in Decalogo præcipitur. Verum de hoc toto loco infra dicemus copiosius

NE QVIS VOS DECIPIAT SIMULANS HVMITATEM &c.

Supra inchoatus est Epilogus, in quo constituit nō deberi exigi obseruationem ceremoniarum legis, & traditionum humanarum. Hic repetit Epilogi sententiam, & ex circumstantijs amplificat, iubet enim cauere, ne decipiamur his artibus, quibus utuntur Hypocritæ ad fallendos imperitos, sicut & Christus ait, Pseudopphetas uestimentis ouium tectos, per eam commendationem, insinuare se in animos populi. Fallunt autem male detortis scripturis, & impie causæ addunt

IN EPIST. AD COLOS.

addunt ex suis moribus vires, simulant insignem probitatem, ac maxime humilitatem, uestitu, gestibus, & tota actione, incedunt sordide uestiti, cincti funibus, non induunt calceos, nisi ligneos, adhuc uiuunt celibes, iactant uisiones. Hæc ad permouendos, & conciliandos uulgi animos efficacissima sunt.

Sed ut hic discernamus simulationem humilitatis à uera humilitate, definiemus quid sit humiliter de se sentire. Porro nulla breuior aut absolutior definitio concipi potest, quam hæc *ταπεινοφροσύνη* erga Deum uere esse timorem Dei. Nam uere territi iudicio Dei, abijciunt omnem fiduciam suarum uirium, sine sapientie suæ iustitiæ. David cum obiurgatus à Propheta Nathan, cerneret suum peccatum non confidebat se sua iustitia placaturum esse iram Dei, cum uideret se è regno non eijci, agnoscebat id fieri diuino consilio, non igitur confidebat suis uiribus aut sapientia, regnum se retinere posse. Atque hæc humilitas erga Deum, parit etiam erga homines *ταπεινοφροσύνη* Qui enim norunt suam immunditiam, & infirmitatem, hi non contemnunt alios, hi sciunt sciunt sua dona in potestate Dei esse, quæ si non adspiret Deus, sint futura infœlitiæ. Quidquid agunt, suscipiunt, non confisi suis uiribus, sed auxilio Dei, sciunt Deum maiora dona alijs largiri posse, sciunt Deum posse maiores res, atque utiliores efficere per eos, qui minus habent uirium, sciunt

SCHOLIA PHIL. MEL.

ab uno Ionatha maximum exercituum esse fugatum. Sed infra prolixus definitam & superbiam, & humilitatem, nam hoc nomine inter im utimur more scripturæ, pro greca uoce ταπεινοφροσύνη. Confer autem ad hanc, qualemcunq; descriptionem Hypocritas, hi, si qua dona habent, mirifice intumescunt. Primum aduersus Deum, sapientia sua ita confidunt, ut Verbum Dei non præferant suis consilijs, imò arbitros se ac iudices Verbi Dei faciant. Nullius alterius iuditiū admittunt, se solos sapere existimant, reliquos homines insanire omnes putant. Nam si qua bona opera habent, hic se Deos plane faciunt, ita confidunt sua iustitia, ut se solos respici à Deo statuunt, propter sua sacrificia cōseruari, magnas ciuitates, magna regna, sentiant. Se solos sustinere humeris cœlum, alioqui ruiturum predicant. Vidimus enim pietas tabulas, in quibus ruentem ecclesiam fulciebant Monachi quidam.

Et cum sapientiæ, ac iustitiæ persuasione induerunt, mirum est, ut ex alto reliquos homunculus despicant, sibi arrogant, auctoritatem de omnibus iudicandi, suam censuram, suum iudiciū pro oraculis haberi ab omnibus uolunt. Si quis leuiter dissentiat, hic primum prodit se male dissimulata superbia, hic depugnare pro existimatione incipiunt, hic ostēdunt se uere esse lupos rapaces. Sūma enim acerbitas odij est, quo prosequuntur eos à quibus se lædi iudicāt. Et huic
ionmani

IN EPIST. AD COLOS.

immani odio mirabiliter indulgēt, malingne interpre-
tantur, quicquid illi dixerint aut fecerint, nihil tam
circumspecte scribi, dici, fieri potest, quod non norint
calūniari, undiq; insidiosissime aucupantur, quod in
speciem reprehēdi possit. Si quod erratum deprehen-
derint, sic exaggerant, etiam si sit leuissimum, ut nul-
lum scelus atrocius aut lectum unquam, aut auditum
uideatur. Adspargunt etiam, cum parum firma causā
sa uidetur, mendacia quaedam, ut probabilior oratio
fiat. Et cum Paulus grauissime praeceperit, ut ^{καί}
^{κεία} nostra nota sit omnibus, non solum nullam adhi-
bent isti in iudicando ^{καί}^{κεία} sed etiam summam
iniquitatem. Saepc ex se fingunt crimina, ut qua iure,
qua iniuria bonos uiros deforment. In aduersariorū
dictis aut factis, quicquid inest boni dissimulant, tan-
tum excerpunt deteriora, haec miro artificio amplifi-
cant, ut eorum commemoratione bona penitus obru-
ant. E contra, sua dicta ac facta commodissime inter-
pretantur, hic nouo quodam candore utuntur, hic equi-
tatem ab alijs requirunt. Ad hos magistros, si quis uo-
let Sycophanticam discere, conferre se poterit.

Atq; his calumnijs principum seuitiam saepe ad-
uersus innocentes armant. Tanta est huius Pharisaici
odij crudelitas. Nec opus est procul ē ueteribus hi-
storijs exempla querere. Nam haec nostra aetas mag-
nant copiam exemplorum suppeditare potest, nunq̄

SCHOLIA PHIL. MEL.

enim maiore in odio fuisse ullos homines existimo, quam sunt hoc tempore boni quidem uiri, qui recte docent: nec in odio sunt uini alicui generi hominum uerum maxime inuisi sunt Hypocritis quibusdam, qui suam doctrinam reprehendi ægere patiuntur, quiq; metuunt, ne sapientiæ laudem amittant. In his Hypocritis, cum sit incredibilis superbia, tamen mire norunt *ῥαυνοπροσωπεῖν*, & singulari specie humilitatis fastum animi tegere. Olim Monachi uulgo faciebant fucum genere uestitus ac incessus. Nunc aliud artificium multo callidius excogitatum est simulandæ humilitatis, quod quale sit, non libet mihi hic describere.

Tantū hoc monere lectores uolo, ut quæ de simulatione humilitatis Paulus dixit, putent etiam ad grauitatis & tristitiæ simulationem pertinere, quæ & ipsa cum singulari sapientiæ persuasionem cōiuncta est, nec raro decipiuntur imperiti à claris hominibus propter grauitatis speciem. Est autem hoc in genere singularis pertinacia, plerunq; *ἄνωγισα* neq; quidquam rectum putat, nisi quod ipsi placet, & dissentientes neutiquàm humanitus patitur, sed acerbe odit atq; persequuntur.

ET RELIGIONE ANGELORVM.

Cœlibatum maxime significari arbitror, qui a deo decepit homines, ut quidam castrauerint se ipsos ferro ut iustitiam mererentur. Nōnullos & Eremitica uita sefellie

IN EPIST. AD COLOS.

ta sefellit, ut coniugia desererent, & extant hodie cō-
 stitutiones, ut liceat deserta spōsa, ad monasticen trās
 ire, cōtra datam fidem. Fuerunt olim Hæretici καθαροί
 qui tanquā angelorum religionem professi uiden-
 tur, quia negabant eos, qui post baptismū lapsi essent,
 ueniā peccati posse cōsequi. Qui error maxime ex eo
 ortus est, quod quid esset peccatum, nō intellexerunt.
 Sunt in sanctis peccata, scilicet imbecillitas fidei, con-
 cupiscentia, quæ cum ueniam consequantur, quid dubi-
 temus etiam crimina ueniam consequi. Vides igitur
 Hæreticos illos ratione deceptos esse, quæ tantum cri-
 mina quæ foris conspiciuntur, iudicat esse peccata, im-
 muudiciem cordis non cernit. Ac uidentur mihi καθα-
 ροί illi in Anabaptistis hoc tempore renati esse. Nam
 eosdem errores, quos nunc Anabaptistæ spargunt in
 Germania, olim καθαροί docuerunt.

IN CEDENS IN HIS QUAE NON
 VIDIT INFLATUS MENTE &c.

Fallunt etiam quidam hoc pretextu, cum iactant
 singulares reuelationes Huiusmodi multi in historijs
 recensentur. Sed nos uidimus Thomam Monetarium
 qui adfirmabat se diuina uoce mandatum accepisse, ut
 bellum inferret principibus. Hic gloriabatur se cum
 Deo colloqui clara uoce. Sed hæc falso iactabat, &
 hæc mendacia fingebat, ut multitudinem sibi adiunge

SCHOLIA PHIL. MEL.

ret, cuius auxilio posset tumultum concitare in germania, & tyrannidem occupare. Somnia diligenter solebat obseruare, tametsi ex his diuimans nunquam non falleretur. Adeo cōueniebat in hunc, id quod Paulus ait, incedere Pseudoapostolos in his quæ non uiderunt, iactabat reuelationes, cum nullas haberet, diuinabat ex somnijs, cum nihil certi posset adfirmare. Id planè erat incedere in his quæ non uidebat, partim falsa de se prædicare, partim adfirmare incomperta, & incerta. Multis autem in locis Christianæ doctrinæ errabat. Negabat fide iustificari homines, adfirmabat præparari homines ad gratiam operibus nostris, Verbum Dei & Sacramenta planè cōtemnebat, quia docebat homines ratione Deum cernere, & intelligere honesta, & impetrari spiritum sanctum, si ratio se aliquandiu bonis operibus exercuisset. Sic hallucinabatur de iustificatione, adeoq; de regno spiritali. De regno ciuili non minus errabat, Docebat facultates hominum debere communes esse. Magistratibus bellum inferebat, prædicabat futurum, ut omnes impij ante diem nouissimum delerentur, ut pij regna tenerent, & securi degerent, rebus omnibus, uelut in Platonica ciuitate, communiter utentes. Multæ hæreses confluxisse in hanc factionem Monetarij uidetur. Nā bona pars dogmatum conuenit cum Enthusiastis. Sic olim adpellati sunt Heretici quidam, qui contempto

Verbo

IN EPIST. AD COLOS.

Verbo Dei, & Sacramentis, dicebam se Spiritum sanctum quibusdam orationibus impetrare, & somnia sua pro adflatus Spiritus sancti habebant.

Quaedam dogmata sunt à Christianis sumpta, qui Prophetarum promissiones de regno Christi corporaliter interpretabantur, & sentiebant Christum mille annis regnaturum esse in hac uita cum pijs, circumfluentibus omni genere deliciarum. Acceperat hos errores Thomas à Nicolao Storc, quem adhuc superstitem esse suspicor. Huic aiebant diuinitus promissum esse regnum totius orbis terrarum, ut tolleret omnes impios magistratus, & repurgaret Ecclesiam. Hæc duxi hoc loco adscribenda esse, ut pios lectore mone-rem, ne fidem haberent fanaticis spiritibus, qui reuelationes iactant, præsertim dissentientes à scriptura. Nā Prophetia iubet, ut scripturam iudicem omnium reuelationum faciamus, cum inquit, Ad legem, & ad testimonium. Et Paulus ait, Si angelus de cælo euangelizauerit uobis aliud quàm euangelizauerimus, anathema sit. Hic igitur ait fanaticos illos doctores, incedere in his quæ non uiderunt, id est, adfirmare incomperata, & incertas reuelationes sequi. Nam incedere significat fastum quendam, qualis esse solet in Hæreticis, noua dogmata serentibus. Addit autem, inflatos esse mente carnis suæ, ut significet eos sequi iudicium rationis, non scripturæ, aut Spiritus sancti: nam, ut supra

SCHOLIA PHIL. MEL.

diximus. Hereses nascuntur ex probabilibus rationibus, quas contra scripturam impij homines amplectuntur. Nam cum uerbum Dei plerumque tradat incomprehensibilia rationi, mauult ratio ea sequi, quæ per se ceruit & comprehendit, ita fit, ut discedat à scriptura.

Paulus hic addit, Fanaticos illos spiritus, non tenere caput Christum, qui alit, & gubernat Ecclesiam, hoc est, non tenent ueram cognitionem Christi. Monetarius fidei iustitiam planè non decebat, tantum negabatur de quadam simulatione tristitiæ, qua impetrarent spiritum sanctum. Christi regnum non intelligebat spirituale regnum esse, hoc est, agnitionem peccatorum, & timorem Dei, & fiduciam erga Deum, & gaudium in Deo, & uitam æternam, castitatem, & caritatem erga proximum. Sed iudicabat regnum Christi esse iustam ^{ωδλιτέιω} in mundo. Hæc carnales opinioniones hominem deceperunt, cum rationis iudicium sequi mallet, quàm scripturam. Fecimus autem ideo Monetarij mentionem, ut, quoniam eius factionis reliquie adhuc spirant titulo Anabaptistarum, admonerentur pij lectores, ut procul fugiât factionem tam multa impia dogmata profitentem. Ex Storij ludo prodijt & Carolo Stadius, cum de Eucharistia primum disputauit non esse præsens in cœna corpus Domini, cum puero rum baptismum improbabat. Cû talem habuerit autorem, merito debebat oïbus doctrina eius esse suspecta
Itaq; si

IN EPIST. AD COLOS.
ITAQVE SI MORTVI ESTIS
CVM CHRISTO AB ELE=
MENTIS MVNDI, &c.

Epilogo addit Apostolus rationem. Christiana iu=
stitia requirit mortificationem carnis. Humanae tradi=
tiones non mortificant, nec uiuificant, ergo non sunt mortificant,
necessariae ad iustificationem. Hic docet aduersarij, q; nec uiuificat
ideo condantur traditiones, ut caro mortificetur. Pu=
tant enim ciuiles istas ordinationes ieiuniorū, & alia
rum ceremoniarum in scriptura uocari mortificatio
nem carnis, sed falluntur. Nam lex Dei duo habet offi=
cia. Primum, cohercere, seu ad iustitiam carnalē adi=
gere metu poenarum iniustos, sicut Paul. 1. Timoth. 1.
docet. Alterum officium est humiliare, & uerum ter=
rorem incutere, ut agnoscamus nos eternam mortem
meruisse, & queramus gratiam. Sicut David terreba=
tur, cum obiurgaretur à Propheta Nathan.

Humanae uero traditiones, sicut certa ieiunia, seriae,
uestitus, unum hoc habent officium, ut quadam corpo=
rali disciplina contineant, & redant iniustos, seu im=
peritos, ut pueros, aut uulgos. Id non uocat scriptura
mortificationem, quia mortificatio est opus spiritus
sancti, cum uerum & uehementem terrorem Deus in=
cutit conscientijs, & ostendit peccatum, & iugulat
conscientiam, sicut Paulus ait Galatas. 5. Caro con=

SCHOLIA PHIL. MEL.

cupiscit aduersus spiritum, et spiritus aduersus carnem
 Et Rom. 8. Si spiritu facta carnis mortificabitis, uiue-
 tis, Et illa mortificatio seu poenitentia non exigit cer-
 tum uestitum, certos dies, sed inter reliquos fructus
 spiritus & hos ultrò parit, castitatem, sobrietatem, to-
 lerantiam laborum. & similes. Sicut & Paulus ait,
 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem
 redigo.

Ceremoniæ
 in Ecclesijs
 cur institutæ

Observatio itaq; humanarum ordinationum non
 est mortificatio, sed potius quædam ciuilis forma ui-
 tæ, nihil ad Christianam iustitiam pertinens, uel non
 iustificans. Sed instituta, ad regendos & adsuefacien-
 dos imperitos. Ideo certi dies descripti sunt, ut uul-
 gus sciat, quo tempore debeant conuenire. Ideo cer-
 tæ cantiones institutæ sunt, ne sit in Ecclesia cõfusio,
 sicut & Paulus. 1. Corinth. 14. ait, Omnia decore &
 ordine fiant. Sed eius ordinis observatio quædam pœ-
 dagogia est, & ciuilis disciplina, non est Christiana
 iustitia, nec iustificat. Ideo hic colligit Paulus, Si mor-
 tui estis cum Christo, cur traditionibus tenemini? quasi
 dicat. Traditiones factæ sunt pro uiuentibus carnali-
 ter, ut ciuili disciplina regantur. Non sunt factæ ad-
 iustificandum, sed qui habent spiritum sanctum, iam
 defierunt uiuere secundum carnem, & illa corporali
 disciplina nihil opus habent. Verum utuntur ordinati-
 onibus omnium locorum per caritatem. Iudæis fiunt
 Iudæi

IN EPIST. AD COLOS.

Iudei, Græcis græci. Prorsus spiritualis quædam uita est, & non requirit certam & propriam disciplinam puerilem, sed omnium locorum legibus utitur, aut seruit, aut liber est, adit hereditatem aut non adit, edit carnes aut non edit, secundum iura & ordinationes loci.

NE TETIGERIS, NE GVSTAVERIS,
NEQVE CONTRECTAVERIS. &c.

Sub persona pseudo apostolorum dicuntur μιμητικῶν seu pro exemplis, ut ostendat de qualibus legibus seu traditionibus loquatur, uidelicet de ceremonijs institutis, ut uocant, ad cultum Dei, ut sunt illæ, Ne attingite carnes die sexta, ne ducat uxores presbyteri. Pauli epilodus confertus est argumentis, & sicut supra mentionem facit mortificationis, ita hic argumentatur à uiuificatione, quasi sic dicat, Christiana iustitia est uita æterna, sicut Christus ait Ioan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti IESVM Christum. Quod si est uita æterna, ergo non adferunt Christianam iustitiam cibi & potus, sicut & aliàs ait, Regnum Dei non est esca & potus: & sicut Christus ait, Quod intrat in os, non conquinant hominem, multo minus iustificat hominem. Sed necesse est, æternum quiddam esse, scilicet Verbum, quo regeneremur & sanctificemur diuinitus. Ideo dixit Paulus, Sunt in corruptionem usu seu utendo, id est, perunt, nec adferunt uitam æternam.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Vocabulum $\kappa\acute{\rho}\omicron\chi\eta\sigma\iota\varsigma$ non est accipiendum de malo usu, ne quis suspicietur Paulum uelle dicere, tum deum cibos non iustificare, si abutamur, iustificare uero, si utiliter utamur. Sed hoc uult, cibos non iustificare, cum utiliter & rite utimur, & uocat consumi quotidiano usu. Quod autem de cibis dicit, ad totam uitam corporalem & leges, ad seruitutem & libertatem & similia referrī debet.

IUXTA MANDATA ET DOCTRIN. &c.

Hic aperte traditiones humanas nominat, ut sciamus Epilogus hunc pertinere, non tantum ad legem Moysi, sed etiam ad humanas traditiones, quæ quotidie conderentur. Est itaq; semper tenenda propositio, quam supra instituit, Nemo uos iudicet in cibo, potu, id est, conscientia non est obliganda, seu ita alliganda ad obseruandas traditiones humanas, ut sentiat se iustificari earum obseruatione, & peccare, si non obseruet. Nam iudicare est condemnare, aut ad probare conscientiam.

QVAE VERBOTENVS QUIDEM HABENT SPECIEM SAPIENTIAE &c.

Primum tribuit speciem sapientiae traditionibus, id sic accipiendū est. Ritus aliquando ordinantur, non ad iustificationem, sed ad paedagogiam, & utilitatem corporalem seu pacem, ut cum certæ cantiones praescribuntur

IN EPIST. AD COLOS.

scribuntur, ne dissimiles cantiones in Ecclesia tumultum excitent. Cum certa feria constituuntur, in quibus uacet audire contiones. Huiusmodi ordinationes non damnat Paulus, imò ipse etiam ordinat, ut mulieres tegant capita, ut loquente uno audiant alij.

Secundo ordinantur ritus propter iustificationem sicut pleraque ieiunia, item, accedere semel certo tempore ad Eucharistiam, ordinata sunt ad remissionem peccatorum, & similia. Tales ordinationes damnat Paulus, & dicit eas habere speciem sapientiae. Species autem haec est, cum corporalis necessitas exigat aliquas certas ordinationes, ut diximus, statim colligunt inde Pseudoapostoli necessarias esse ad iustificationem sed non recte colligitur. Nam, ut uestire est necessarium corpori, neque tamen sequitur, necessarium esse ad iustificationem. Ita ordinationes aliquae certorum dierum aut cautionum necessariae sunt pacis causa. Neque tamē sunt necessariae ad iustificationem, ita decipitur ratio, cum ex corporali re spiritualem efficit, sed decipiunt nos haec duo.

Exempla aliorum Quia enim uidet aliquis maritus sanctum Anthonium in eremo praclare uixisse, captus exemplo, idem uitae genus sibi sequendum putat, deserta coniuge, desertis liberis, sicut saepe accidit. Porro sanctus Anthonius non ideo degit in eremo, ut per id iustificaretur, sed propter aliquam aliam causam.

SCHOLIAPHIL. MEL.

Secundo, Ratio naturaliter quærit iustificationem ex Ratio quæ= suis operibus, ideo sunt tā diuersi cultus instituti, quia
rit iustificati alius alio opere uoluit satisfacere pro suis peccatis, si
onem ex o= cur est apud Esaiam cap 58. Quare te ieiunamus &
peribus, sed non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescij
fallitur. sti. Istæ causæ sunt, cur decipiamur, & putemus tra=
ditiones necessarias esse ad iustificationem.

PER SVPERSTITIONEM AC
HVMILITATEM ANIMI &c.

Εθελουθησκειου uocat opus sine mandato diuino,
nostra sponte electum, seu institutum. De eiusmodi o=
peribus & alijs dicit Christus, Frustra colunt me mā=
datis hominū. Est & ταπεινοφροσυνη hoc loco accipiē
da de simulatiōe humilitatis. Nam uera humilitas par
tim est uera mortificatio, seu timor Dei, partim uera
charitas. Hæc autem spiritus sanctus efficit, ut supra
dictum est. Diximus & supra, errare pseudoaposto=
los cū docent suis ordinationibus mortificari carnē.
Nam ordinationes humanæ sunt exercitia corporalia
Mortificatio autem est opus spiritus sancti.

Vera humili=
litas quæ.

PER LAESIONEM CORPORIS,
NON PER HONOREM ALI. &c.

Diligenter hoc loco obseruandum est, quod præ=
cipit Paulus parcere corpori, & honorem ei habere,
& tribuere quantum satis est, sicut & in Prouerbijs
præceptum

IN EPIST. AD COLOS.

praeceptum est cap. 12. Iustus agnoscit animas iumentorum suorum, cor impiorum crudele est. Sicut enim debemus cum gratiarum actione reuerenter uti auctoris donis Dei, ita et uita et bona ualetudine utendum est ut agnoscamus esse dona Dei, et studeamus seruari tantisper, dum uidetur Deo. Ideo et Paulus ait, 1. Timotheæ . 4 . Cibos quos creauit Deus, ad percipiendum cum gratiarum actione. Quid autem est aliud percipere, quam uires corporis conseruare. Sed ut abstinentia cum nocet corpori, prohibetur, ita praecipitur ad refrenandam corpus, sicut Christus ait, Attendite, ne corpora uestra grauentur crapula. Et Paulus, Ebriosi non intrabunt regnum Dei. Ideo Paulus hic adiecit, quantum satis est, tantum esse parcendum corpori, seu tribuendum. Et Ecclesiast. 33. modus traditur, Cibaria et uirga et onus asino, panis et disciplina et opus seruo. Sic regi corpus debet, ut necessarius uictus ei tribuatur. Deinde, ut etiam refrenetur et castigetur, ne luxuriet, neque uero castigatio sine labore et iustis operis est utilis, ideo etiam iustae operae imponuntur, per quam occasionem alligentur ad recte faciendum. Scio alios uarie exposuisse postrema particulam, ad expletionem carnis. Sed mihi placet Hieronymi sententia, qui sic interpretatur, quantum satis est, et Paulum ait iubere tribui corpori, quantum satis sit.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Et quia hoc loco de traditionibus humanis multa dicta sunt, uolumus & nos eum locum copiosius excutere. Sit ne peccatum, uiolare traditiones humanas? Est autem initio cōstituendum, nos loqui de Ecclesiasticis traditionibus, institutis ad iustificationem, uel remissionem peccatorum impetrandam, uel in genere ad cultum Dei, ut uocant, Sed priusquam de traditionibus istis Ecclesiasticis dicam, quaedam ante tradenda sunt de magistratibus ciuilibus, & ciuilibus legibus, quæ de corporali seruitute, de tributis conferendis, de possessionibus bonorum, & similibus negotijs constituunt.

Scio enim multos esse, qui secus de ciuilibus magistratibus sentiunt, quàm Christianæ literæ docent. Ac mihi ipsi acerrima contentio, cum multis fuit, qui sibi ualde eruditi uidebantur, qui negabant licere Christiano, Magistratus gerere. Et, quantum uideo, plerosq; ueterum offendit hoc nomine Christiana doctrina, quæ cum uindictā prohibet, uideatur perturbare ac dissoluere ciuilē statum, Magistratus & iudicia è rebus publicis auferre, prohibere fontium poenas, impunitatem polliceri facinorosis, augere improborū temeritatē, rapinis ac cædibus omnia uasta facere, deniq; perpetuo latrocinio societatem generis humani dissipare.

Et adparet hæc crimina frequentissime nostris obiecta esse, et uerisimile est multum ualuisse ad abalienandas

IN EPIST. AD COLOS.

nandas hominū uoluntates à Christi doctrina . Quis enim non abhorreat à talibus paradoxis, tam absurdis. Nefas esse metu iuditorū & poenarum cohercere improbos, & latrocinia depellere. Facultates omnium communes esse, Nullos licere Magistratus in ciuitatibus esse. Sudat in refellendis his calumnijs Origenes aduersus Celsum Conatur eas etiā diluere Nazrenus aduersus Iulianū. Sed an satisfecerint causse suscepte, iudiciū aliorum esto . Longa est in Augustini Epistolis eadē de re disputatio ad Marcellinū, qui ad Augustinū scripserat, quendā Aphricanae gentis principem solere hoc nomine Christianā doctrinā reprehendere, q̄ non sit idonea rebus publicis, sic enim ille loquitur. Sed quid ego ueteres commemoro, cum his proximis annis tā multi libelli in germania editi sint & quidem à nonnullis qui audire Theologi uoluerūt in quibus disputabatur, nemini Christiano licere Magistratus gerere, facultates omnium cōmunes esse debere, & alia similia. Vnus Luherus constantissime defendit ius atq; auctoritatē Magistratū, cuius si quis scripta hac de re cōferet, cum ueterū disputationibus uidebit nunq̄ perinde Magistratū auctoritatem, atq; ab isto illustratā, atq; ornatā esse, Et pro hoc tanto beneficio, minime dignā gratiā reportat à quibusdā Sy-cophantis, qui solent eum adpellare seditiosum, quia nullam inuenire conuictum plausibilis queunt.

G iij

SCHOLIA PHIL. MEL:

Cum igitur de Magistratum auctoritate uarie disputari soleat, ego hoc loco duxi colligendas esse scripturae sententias, quae, quid Magistratu sentire debeamus, clare ostendunt. Fortassis hic labor meus aliquorum conscientijs proderit. Nam qui sciet, quã honorifice loquatur de Magistratum auctoritate Spiritus sanctus, profecto maiori pietate colet eos. Et qui gerunt Magistratus, si sciant Deo placere suũ munus magnam habebunt in omnibus periculis consolationẽ. Audebunt enim credere se defendi à Deo, quia ab eo mandatã administrationem susceperint. Multũ prodest utrisq; & his qui præsunt, & his qui parent, tenere ueram de hac re sententiam. Adhuc cum intelligemus in doctrina Christiana Magistratus amplissimis laudibus prædicari, refellere poterimus Ethnicos qui calumniantur doctrinam nostram, tanquã rebus publicis perniciosam. Nihil autem magis decet hominem Christianam, quã dignitatem religionis aduersus tales calumnias defendere.

Quare libenter hũc locum tractabimus, qui quasi quandam πολιτικὴν Christianorũ continet. Docet enim quod sit officium Magistratum, quod Deo placeat, quodq; à Deo defendatur, & conseruetur, quod subditi debeant illis religiose obedire. Leguntur philosophorũ politici libri, quos equidem amo, & legi uelim, multa enim honesta præcepta continet, sed multo
plus

IN EPIST. AD COLOS.

plus utilitatis adferent hi scripturæ loci diligenter inspecti, quam ille Philosophorum disputationes, quæ, quia nihil de uoluntate Dei erga magistratus tradere possunt, non ostendunt, quod sit firmissimum præsidium Magistratum. Nec subditi diui in officio esse poterunt, si putabunt humano tantum consilio constitutas esse Respublicas, si iniurias magistratum arbitrantur licere ulcisci.

Deniq; si quis hos locos, quas recitabimus, diligenter expenderit, intelliget nullam in terris unquam fuisse doctrinam quæ perinde muniret autoritatem magistratum, atq; munit eam doctrina Christiana. Primum itaq; sentiendum est, qd magistratū gerere, non sit res illicita, seu peccatum. Scribit enim Paulus ad Romanos. Non est potestas, nisi à Deo. Quæ uero potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Hic aperte ait, potestates à Deo ordinatas esse, & uocat potestatem Dei ordinationē. At si potestas latrocinium esset non posset ordinatio Dei uocari, quia ordinare Deus ea dicitur, quæ efficit, & gubernat, & cōseruat. Nulla tanta uis est humana, quæ possit ciuilem statum retinere, cū homines in tanta malitia tranquilli esse nō possint, cumq; Diabolus sit homicida, ac semel omnium corpora atq; animas perdere cupiat. Proinde Paulus docet nos, Magistratū diuinitus esse ordinatū,

SCHOLIA PHIL. MEL.

id est, non modo cōstitutum, sed etiam conseruari à Deo aduersus hominum ac Diaboli furorem, sicut ordinauit Deus, ut sol oriatur quotidie, ut anni tempora per uices recurrant, ut agri ferant fruges, & hunc rerum ordinem, ac has uices conseruat. Porro, si Magistratus esset Latrocinium, non posset ordinatio Dei uocari, confusio potius ac perturbatio diuinae ordinationis uocaretur. Non enim ordinat ac precipit Deus ea quæ fiunt contra diuina præcepta. Et deinde, cum inquit Paulus Magistratum esse ministrum Dei, & quidem ad bonum, rursus docet, rem esse licitam gerere magistratus. Nam latrocinium nõ est ministerium Dei, sicut nec scortatio, nec alia flagicia ministeria Dei sunt. Significat itaq; Paulus cum ministrum Dei, & uindicem uocat magistratũ, quod uindicta, quam exercet magistratus, exerceatur mandato diuino, & Deo gubernante functionem magistratus. Quid q; latrocinia, non ad bonum, sed ad malũ dici possunt immitti. Latro uim infert uictis & in iustis sine discrimine, imò ut quis est maxime tranquillus, ita in eũ crudelissime seuitur in latrocinijis. Sed magistratus ordinata quædam uindicta est, non temeraria, sed bonos à malis discernens & seuiens in improbos ut iustus defendat & propugnet. Ideo & Christus in Euangelio de regibus ait *βασίλευται* uacantur, ut discernaret regnum à latrocinio. Reges enim custodi-

unt uitam.

IN EPIST. AD COLOS.

unt uitam, & fortunas, & communem tranquillitatem, ut educare sobolem, ut instituere, ut ipsi uacare honestis rebus cognoscendis maximeq; religioni possimus. Hæc beneficia, cū sint inter res humanas omnes summa, merito reges *ὄντο* uocantur, quorum ministerio Deus res tantas nobis concedit.

Et quanquàm hæ sententiæ satis clare ostendunt, Deo probari ac placere munus magistratum, tamen & aliās quasdam adiiciendas esse putauī. Nam scriptura copiose nos de hac re docuit. Et magna caussa est cur scriptura tantis laudibus uebat magistratum, Sicut enim in alijs articulis fidei, prorsus dissentit a uero, species ea quæ in sensus incurrit. Ideo tradidit nobis Deus Verbum, ut cōtra eam speciem, & doceret & muniret, nostras mentes. Christus cum moritur, quid aliud uidetur rationi, q̄ abiectus homo. At uerbū pronunciat eum uere ac natura Deum esse. Quid iudicat ratio de piorum adfluctiōibus? Profecto nihil cōstituere aliud per sese potest, quā negligi eos a Deo ac deseri. At diuersum scriptura pronunciat, adfluctiōes signa gratiæ esse. Si quis articulos fidei omnes considerauerit, intelligit ideo Verbum esse traditum, quia ratio aut non comprehendebat uerum, aut etiā diuersum iudicabat. Idem fit in hoc articulo qui docet magistratuū munus a Deo ordinatum esse, & conseruari a Deo. Quæso enim consule rationem, unde arbitre-

SCHOLIA PHIL. MEL.

tur imperia constitui, profecto cum omnium imperio-
 rum initia, atq; fines contemplabitur, cur reputabit
 varias uices rerum publicarum, ut nunc apud hanc
 gentem, nunc apud aliam principatus fuerit, deniq;
 cum uidebit saepe scelere occupata esse imperta, cum
 uitia eorum qui tenent respublicas, cum crudelitatem
 cum negligentiam considerabit, hic ratio quid statu-
 ere aliud potest, quàm sine Dei consilio, tantum huma-
 nis uiribus, aut temere, imperia constituta esse, & te-
 neri. Cum ueteres historias animo repetimus, in qui-
 bus inconstantia imperiorum cernitur, cum oculis
 atq; animo praesentia uitia principum, cum iniurias
 populorum intuemur, non potest fieri, quin ratio ta-
 li rerum specie offendatur, ut neget Dei opus esse, ci-
 uilem statum in rebus publicis: & quia iudicat ea la-
 trocinium, ac tyrannidem esse, fit, ut populi facile ad-
 ducantur, ut desciscant à magistratibus, ut uim aduer-
 sus eos parent, tanquàm aduersus latrocinia. Quæ res
 alia Brutum impulit, ut caperet consilium interfici-
 endi Cæsaris, nisi hic error, quia enim iudicabat iniu-
 stam Cæsaris dominationem esse, ratiocinabatur sibi
 licere illum à rei publicæ administratione remouere,
 nec uidebat praesentiam magistratum Dei consilio te-
 nere rempublicam, eiq; propter uoluntatem Dei ob-
 temperandum esse.

Aduersus huiusmodi falsas opiniones rationis hu-
 mane

IN EPIST, AD COLOS.

manē docet uos spiritus sanctus, q̄ Dei opus sit ius et
 tota ciuilis disciplina. Philosophi tamen si experientia
 cognouerunt, in tam uarijs motibus rerum humana-
 rum respublicas humano consilio non posse retineri
 aut constitui, tamen nō potuerunt adfirmare, regi aut
 conseruari statum ciuilem certo Dei consilio. Quare
 Plato in quarto libro de legibus, cum quidem fatetur
 neminem hominum posse leges ciuitatibus condere,
 tamen forte magis, quā diuino consilio consistere
 respublicas iudicat. Sic enim ait, *Θνητῶν μὲν μὴ δ' εὐα
 νομοθετεῖν μὴ δ' εὐ. τύχας δ' εἶναι ἀποῶντα τὰ ἀνθρώ
 πινα πράγματα* Poetæ scribunt Deo reges curæ esse,
 eosq; leges diuinitus accepisse. Sic enim inquit Ho-
 merus. *Ἐν παλάμοις φορέουσι δίκας πόλιν δὲ τε θέμιστας
 πρὸς Διὸς εἰρύεται.* Multæ enim coniecturæ monebant
 sapientissimum Poetam, ut sic iudicaret. Forsan etiam
 acceperat huiusmodi opinionem à maioribus, quibus
 haud dubie multa honesta præcepta quasi per manus
 primi parentes, qui norunt uerbum Dei, tradiderant.
 Sed Philosophos ab hac opinione rationes illæ abdu-
 xerunt, quas supra recensui, quo minus adfirmarent
 Deum retinere ciuilem statum.

Cum itaq; ratio decipiatur hac in re, tradidit no-
 bis Deus Verbum suum, ut hoc quoq; beneficium eius
 cognosceremus, quod, quātum referat, cognosci, pau-
 lo post dicemus. Nunc sententias reliquas commemoro

SCHOLIA PHIL. MEL.

rabo. Gene. nono scriptum est, Quicumq; fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Hæc lex continet omnes ordinationes, quæ postea factæ sunt, ad tranquillitatem publicam retinendam, & ad prohibenda latrocinia. Cum igitur hoc loco præcipiat Deus ut homicide puniantur, consequitur licere magistratum gerere, & legitimam uindictam exercere aduersus fontes. Neq; hæc lex per Euangelium abrogata est. Nã cum Paulus inquit, Lex est iniustis posita, docet in mundo coercendos esse lege & pœnis iniustos. Non recte intelligunt neq; Euangelij uim, neq; abrogationem legis, si qui putant sublatas esse leges de moribus & de pace publica retinenda. Atq; hac de re infra dicemus, cum de abrogatione legis loquemur. Adprobat magistratus etiam Salomon cum inquit, Libra & pondus iudicia domini sunt, & ipse fecit pondera, Significat enim libra & pondus, omnes legitimas ordinationes ciuitatum. Et has uocat iudicia domini, id est ius certum & ordinatum à Deo, non tantum in populo Israël, sed apud omnes gentes. Nam & gentibus ostendit Deus iustas leges, & ciuilem disciplinam sicut alio loco ait Sapientia, Per me reges regnant, & principes iusta constituunt. Postremo Lucæ tertio, cum milites interrogarèt Iohannem, quid facere eos uellet, Iohã. inquit, Contenti estote stipendijs uestris.

Erant

IN EPIST. AD COLOS.

Erant autem Romani milites, qui & foris bella gerebant, & in ciuitatibus prouinciae iudicia exercebant. Cum autem Iohannes stipendia probauit, iussit enim ut eis uterentur, certe probat uitae genus, ac militiam. Huc pertinet q, Paulus, & Hieremias praecipunt, ut pro potestatibus oremus. Atqui non orandum est, ut latrocinia Deus conseruet. Quare cum iubet orare, ut principatus sit fortunatus, consequitur regna non esse iniustam dominationem. Accedunt huc sanctorum exempla, qui magistratus gesserunt apud Iudeos, & apud gentes, ut Abraham, constat enim cum bella gessisse, Ioseph, Naaman Syrus, Daniel, Centuriones in Euangelio, & in Actis, & Sergius pro consul.

Ex his locis, & exemplis planum fit, licere magistratus gerere, dicere ius, exercere iudicia, bello latrocinia depellere. Maximam autem utilitatem adfert huius sententiae cognitio. Nihil enim magis optandum est unicuique, quam ut intelligat genus uitae in quo uersatur, & sciat id Deo placere. Sic enim inquit Paulus, peccatum est, quicquid non est ex fide. Uuit in perpetuis peccatis, qui uitae genus ingreditur, quod Deo non probatur. At e contra qui scit Deo probari uitae genus, in quo uersatur, qui intelligit se Deo seruire, is habet maximam in omnibus periculis consolationem, maxime autem qui sciunt magistratum, proprie ministerium Dei esse, & uicarium munus pro Deo sustine-

SCHOLIA PHIL. MEL.

re, hisperare possunt in dubijs rebus auxilium Dei, quia onus ab ipso impositum ac mandatū sustineant, Sicut orat David Psalmo septimo, Exurge Domine Deus meus propter præceptum, quod mandasti. Et sicut David, Iosaphat, Ezechias, Daniel, & similes adiuui sunt, ita pij principes sentiāt & sibi auxilium Dei ad futurum esse. Nam exempla illa proposita sunt, ut & nunc credant, maxime isti qui tenent Respub. se à Deo respici ac defendi. Hos enim multis exemplis consolari Deus uoluit, quia nullū uitæ genus pluribus periculis expositum est, sunt enim notæ ueteres illæ sententiæ.

Sæpius uentis agitur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, seruntq; summos
Fulmina montes.

Et in tanta uarietate periculorum nulla res est humana quæ tueri salutem principum possit. Non satis præsidij est in exercitibus, in munitissimis arcibus, in pecunia, deniq; nec humana sapientia in tanta caligine rerum humanarum providere potest omnia ad salutem principum, ac Reipublicæ necessaria. Nō enim tantum homines improbi insidiantur tranquillitati publicæ, sed etiam Diabolus summa ui molitur perniciē rebus publicis ac principibus, uocatur enim in scriptura homicida. Hæc igitur una aduersus Diaboli insidias

IN EPIST. AD COLOS.

fidias & aduersus alios casus firma cōsolatio est, scire quod Deo uita & genus placeat, quodq; uelut principes qui ab ipso opem postulant, adiuuare ac propugnare. Nihil ne cogitari quidem potest, quod perinde proffit principatus, quod perinde delectare bonum principem possit, atq; huius loci uera cognitio. Solent præferri Magistratibus imperij signa, fasces, sceptrum, stemmata, & hoc genus infinita ornamenta. In his pictam & scriptam hanc sententiam putent, diuinitus se accepisse imperium, non casu, aut temere dominationem se adeptos esse. Si expectent à Deo opem, Deum eorum consilia in tam uarijs tempestatibus gubernaturum esse.

Et sicut hæc sententia Magistratus fidem docet, eisq; promittit auxilium, ita rursus hortatur eos ad timorem ac monet, ne quid contra uoluntatem Dei suscipiant. Quia enim mandata aliunde procuratorem habent, sciant se rationem suorum consiliorum illi, cuius gerunt uicem, reddituros esse. Cum ira & uindictæ cupiditas, cum ambitio, cum alij adfectus hotantur, ut potentiam suam aduersus imbecilliores contra ius exerant, ueniat in mentem, Deo reddendâ esse rationem negotiorum gestorum. Sic admonet iosaphat eos, quibus præfecturas in regno Iuda commēdauerat, Videte quid fatiatis, non enim hominis ex-

H

SCHOLIA PHIL. MEL.

exercetis iudicium, sed Domini. Et quidquid iudicabitis in uos redundabit. Sit timor Domini uobiscum, et cū diligentia cuncta facite. Veniant in mentem exitus omnium Tyrannorū, quos si quis putat fortuitos esse, longe errat. Saul. Achab, et simile admoneant, Deum solere ulcisci impia regum facta. Sicut enim ulciscitur Deus flagitia populi per Magistratus, ita tyrannorum delicta alijs calamitatibus ulciscitur, cuius rei multa exempla suppeditant omnium temporum historiae. Non euadunt legum pœnas homicidæ, quocumq; fugiant, quia Dei ordinatio est, ut dent pœnas. Ita prpter Dei ordinationem et tyranni pœnas soluant. Manet enim ordinatio Dei, ac rumpi nullis opibus, nullis uiribus tyrannorum potest, sicut scriptum est, Verbum Domini manet in æternum.

De uindicta. Sed hic obijci solet, quòd cum prohibuerit Christus ulcisci iniurias, nec Magistratui liceat uindictam exercere. Varie hic locus tractatus est à multis, cum quidem non sit difficilis explicatio. Quidam tradiderunt consilium esse, non præceptum ne iudicemus. Et sic proponendū elabatur Nazanzenus ex hac questione, cum respondet Iuliano, criminanti doctrinam Christianam, quòd noceat rebus publicis, quia uindictam prohibet. Porro uerisimile est propter hunc locum multos de iure Magistratum dubitasse, quibus
Magistra

IN EPIST. AD COLOS.

Magistratum functio, uisa est iniusta quaedam uis de tyrannis, quia uindictam Christus prohibuerit. Et uestigia huius opinionis est cernere in quorundam libris qui quoties de Magistratibus mentio incidit, contumeliose de eorum munere loquuntur, colligunt sententias quibus exagitantur tyranni, exaggerant uitia Magistratum. Ex quare fit, ut induant lectores falsam de ipso etiam uitae genere persuasionem, quia non admonetur, munus ipsum, seu uitae genus Deo probari. Proinde ualde prodest tenere, quorsum hoc praecipuum de non uindicando pertineat. Qui consilium esse iudicant, non ulcisci, non satis animaduertunt, quid consequatur. Si enim Christus consulit tanquam melius opus, omittere uindictam, uidetur idem etiam Magistratibus consulere. Quod si admiserimus, iure reprehendunt Ethnici doctrinam Christianam, quod sit pernitiosa rebus publicis, quia sinat impune peccare improbos.

Quare aliter sentiendum est, praecipuum esse, ne uindicemus. Sed hoc praecipuum de priuata uindicta intelligendum est, non de uindicta quam exercent Magistratus. Neque ego ex me fingo hanc interpretationem, sed scriptura cogit nos discernere uindictam priuatam ab officio Magistratum. Atque hoc miror quomodo acciderit, ut tam multos offenderit Christi uox de uindicta, cum neminem offendit praecipuum,

H ij

SCHOLIA PHIL. MEL.

Non occidas. Nemo iudicauit Magistratus in capitulis
libus suppli. ijs contra hoc præceptum facere. Ita o-
portuit etiam de Christi uoce, quæ uindictã prohibet
sentire, præsertim cum manifeste adpareat eum in illo
ipso loco, nihil agere aliud, nisi ut præceptum, Non
occidas, interpretetur. Nam hypocritæ intelligunt tã-
tum cædem prohiberi, Christus autem docet præce-
ptum id ad affectus pertinere, prohibere iracundiam
odium, cupiditatem uindictæ, qui affectus præsertim
in generosis animis, ut uocant, est acerrimus & seuis-
simus, ut Poeta significat, qui scripsit, At uindicta bo-
num, uita iucundius ipsa. Sicut igitur præceptum,
Non occidas, ita sententia Christi, de uindicta priuata
accipi debet, non de Magistratum officio. Scriptura
in alijs locis de Magistratu præcipit, ut supra osten-
dimus, & tanquàm à communi præcepto Magistra-
tus excipit, quia non exercent uindictam suo nomi-
ne, sed tanquàm uicarij & ministri Dei. Sic enim
adpellat Paulus Magistratum, Dei ministrum ac uin-
dicem. Nam ut sapientiæ ac iustitiæ gloriæ, ita uindi-
ctæ Deo competit. Ideo scriptum est, Mihi uindictam
& ego retribuam. Priuati, quia sine mandato Dei uin-
dicant, grauissime peccant, quia Deo gloriam præri-
piunt. Magistratus autem exercet uindictam ex man-
dato diuino, si tamen ordine, ac legitime exercet. Et
quoniam

IN EPIST. AD COLOS.

Quoniam Deus in summo honore Magistratus in mundo esse uoluit, significauit multa magna bona nobis per eorum munus contingere, pacem, securitatem in quaerendo uictu, in educanda & instituenda sobole, deniq; in omnibus uitae negotijs. Sic igitur sentiamus de uindicta Magistratum, summa & sanctissima charitatis opera esse, iurisdictionem, supplicia publica facinorosum, depulsionem latrociniarum, legitima bella, & reliqua quae ad eorum officium pertinent. Non intelligunt cur uenerit Christus in mundum, qui existimant eum ciuilem administrationem nouis legibus latis sustulisse. Ille uero uenit ut praedicaret remissionem peccatorum, ut daret Spiritum sanctum credentibus, quorum cum sit exiguus numerus, Magistratus tamen existere uult propter reliquam impiam multitudinem, quam coerceri metu suppliciorum, & legibus oportet, sicut Paulus docet, cum ait, Lex est iniustis posita. Nec constituit Christus novos Magistratus, sed iubet nos parere praesentibus, tametsi Iudaei, & in his Apostoli somniabant Christum ciuile regnum instauraturum esse, domitis bello gentibus, & liberatis Iudaeis. Sed hanc opinionem, cum saepe alias taxat Christus, tum in hoc ipso loco damnat, cum uetat exercere uindictam suos, significat enim se non gerere regnum ciuile, sed permittere id regnum Romanis,

H. iij

SCHOLIA PHIL. MEL.

qui eo tempore tenebant, sic igitur totum illud caput Matth. 6. accipi debet, ne ciuilem ordinationem, seu Magistratus tollere intelligatur, cum tot alijs scripturæ testimonijs probentur.

Enarratio lo
ci, Reges gē
tium domi=
nantur.

Obijcitur, & illud, Reges gentium dominatur eo
rum, Vos autem non sic Sed is locus non damnat re=
ges gentium, tantum discernit à Christi regno, re=
num gentium. Non inquit peccare reges gentium.
quia dominantur, quia imperia tenent atque admini=
strant, ius dicunt populis, ut suum quisq; teneat, armis
prohibent latrocinijs, bella legitima cum latronibus
gerunt. Nec placet mihi Vulgarij uox, qui in enarra=
tione huius loci apud Matthæum inquit, τυραννικόν
γάρ ἐστι τὸ ἀρχεῖν, καὶ ἀνόμιον τῆς ἐμῆς δόξης χριστοῦ id est,
tyrannicum est regnare, & alienum à mea doctrina.
Nam Magistratum gerere, seu principem esse, iusta
quædam ac diuina ordinatio est, non est tyrannis, hoc
est, iniusta uis, Vulgarius excusari potest, quod non
de munere Magistratus, sed de uicijs eorum qui Ma=
gistratus gerunt, loquatur. Nos tamen admonere le=
ctorem uoluimus, ne huiusmodi sententijs, extant e=
nim passim in scriptoribus innumerabiles, deceptus
iudicet officium damnari. Neque enim hoc loco Chri=
stus condemnat reges gentium, sed per collationē ostē=
dit quæ sit dissimilitudo regni ciuilis, & regni spiritua=
lis

IN EPIST. AD COLOS.

lis. Proinde cum dixisset reges gentium dominari, addidit eos uocari ^{ὀβριγέτας}, quam laudem non reliquisset eis Christus, si genus uitæ uituperare uoluisset, significat enim beneficio principum uitam & fortunas nostras defendi. Quale aut sit regnum gentiū, quod sic uocat Christus, sæpe iam diximus, nempe quod iuditijs, legibus, pœnis, bello, publicam pacem tuetur. Nec temere gentiū regnum uocatur, nam illis opus est ut coherceantur ui, qui non sunt sanctificati Spiritu sancto. Est aut id regnum, ut supra dixi, institutum, Gen. 9. Quicumq; fuderit sanguinem humanum, PER HOMINEM fundetur sanguis illius. Per hominem, inquit, ut intelligamus nindictam publica ordinatione per magistratum exercendam esse. Nec uenit Christus, ut hoc regnum aboleret, sed ut suum quodam ac spirituale regnum inchoaret, in quo prædicaretur Euangelium, daretur Spiritus sanctus, renouarentur corda credentium. Interea cū magna sit multitudo impiorum, non aufert Christus è mundo ciuile regnum, sed magis comprobatur, ut impij coherceantur. Sic ergo inquit ad suos, Vos aut nō sic quasi dicat, illi ui & armis tenēt regna, uos docendo regnū tenebitis, non eripio Romanis imperium, suos illi Magistratus, suas leges, sua instituta retineant. Ego quoddam regnum constitutio, quod non impedit illorum

SC H O L I A P H I L . M E L .

administrationem, sed confirmabit potius. Per Euang-
gelium liberabo meos ab aeterna morte, à peccato à
Diabololi potentia, talis doctrina non perurbat ciui-
lem administrationē. Sic enim de regno Christi uaticā
nati erant Prophetæ, Zachariae 9. Ecce rex tuus uenit
tibi iustus & saluator, pauper. Et Sophon. 3. Dere-
linquam in medio tui populum pauperem & egenū
& sperabūt in nomine Domini. Quod si autem Chri-
stus mundi regnum inuasisset, deletis alijs regibus, &
reductis in seruitutem omnibus gentibus, nec ipse
rex pauper, seu miser uocaretur, nec populus adpel-
laretur miser, qui opibus totius orbis terrarum secu-
rus frueretur. Sed hæc regni forma, quam Prophetæ
describunt, Iudæos, ut constat, mirabiliter offendit,
adeo ut & Apostoli in hac opinione essent, Christum
ciuile regnum in Iudæa occupaturū esse. Et hunc erro-
rem tenaciter in animis hærentem, uix sero passi sunt
sibi eximi. Vides eos cū hoc loco, tum alias sæpe pro-
pterea obiurgari. Christus coronatus est corona spi-
nea, & per ludibriū in regia purpura traductus, qua-
re planè hoc significatum est fore multos, qui inter-
pretaturi essent, Christum in hoc tantum uenisse, ut
uoluntas moderatores constitueret, ut præcepta quæ-
dam ciuilitate uiuendi traderet. Deniq; q̄ regnū Chri-
sti non in motibus cordis, & aeterna ac spiritali uita
collocaturē

I N E P I S T . A D C O L O S .

collocaturi essent, sed tantū in externa quadam æquabili politia. Sic adparet Pōtificates principatus suo constituto sensisse. Sic hoc tempore seditiosi senserunt, qui arma aduersus magistratus ceperunt prætextæ Euangelij. Gloriabuntur enim se uelle leges ferre ex Euāgelio, Respub. iuxta scripturā cōstituere. Qui sic senserunt, planè Christum irriserunt in regia purpura, & spinis coronauerunt. Quare prudenter discernamus hæc duo regna, Regnum mundi, & regnū Christi, quemadmodum hætenus non semel monuimus. Regnum Christi, uersatur in cordibus sanctorum, qui credunt iuxta Euangelium se à Deo propter Christum in gratiam receptos esse, qui renouātur & sanctificantur à spiritu sancto, & uitam æternam degustant, qui bonis operibus foris ostendunt suam fidē & propter gloriam Dei, omnibus benefaciunt, ut ad agnitionem Euangelij plurimos inuitent, tolerant omnia, nec patiūtur se cupiditate, uindictæ amari aduersus eos, à quibus iniuria adfecti sunt, obtemperant magistratibus summa cura. gerunt magistratus, si tamen mandentur eis, uigilanter ac fortiter. Si cogat officū puniunt fontes, pugnant in acie. Non autem irrum-punt ad gerendos magistratus ultro, sed si cogantur uocatione, suscipiunt eos. Porro regnū mundi, ut sæpe dixi, est legitima ordinatio, quæ magistratum est

SCHOLIA PHIL. MEL.

thoritate, legibus, iudicijs pœnis, bello publicam pacẽ defendit. Atq; ei ordinationi, uult Christus non tantum impios esse subditos, quorum caussa cõstituta est, sed etiam sanctos propter exemplum, ideo & Christus ipse dedit *ἡ ὑπακούω*, ut exemplo suo ad obedientiam alios imitaret. Et Paulus grauissime præcipit ut subditi simus, non modo propter iram, id est, non tantum quia cogimur ui, sed propter cõscientiã, id est propter mandatũ Dei, quod etiam si non cogeremur metu supliciorum, cõmonere nos debet, ut pareamus.

Siqui sunt alij scripturæ loci, propter hos duos, quos iam enarrauimus, qui contra magistratum officium citantur, facile poterunt explicari, si quis diligenter expẽderit ea, quæ hætenus diximus. Sed prius quàm finem facio, diluenda quedam ratio est, quæ magnopere uidetur cõtra authoritatem magistratũ facere. Quia enim regna ferè scelere cõstituta sunt, mirabiliter offenditur humanus animus, ut existimet imperia nihil nisi iniustam uim, ac tyrannidẽ esse. Ex ea opinione memini quendam ratiocinari, qd non liceat homini Christiano gerere magistratus, aut imperia.

Non est obscurum quomodo inuasit imperium Caius Cæsar, & alij innumerabiles. Et scriptura tribuit Nemroth titulum uenatoris, qui, quia primus uicinos populos coëgit armis, ut sibi parerent, ideo uideatur adpellari

IN EPIST. AD COLOS.

tur adpellari uenator, quia ex uicinis agris prædatus sit, & populus in suam potestatem redegerit. Quia enim addit scriptura, uenatorem fuisse coram domino significauit eum non esse uenatum uulgari more, aut feris tantum insidiatum, sed uim exercuisse aduersus uicinas gentes, easq; suo imperio adiunxisse. Huiusmodi infinita exempla leguntur, & quotidie uidemus reges ambitione aut ira percitos bella mouere, & in alienas possessiones inuadere. Quoties Galli contra ius gentium his proximis annis Mediolanum occupauerunt, nunc etiam Rex captus, & Caroli imperatoris humanitate in regnum suum remissus bello contra datam fidem reparato, quasdam in Italia urbes occupauit. Quare cum regna per iniurias constituta sint, nõ uidentur à Deo ordinata esse. Et haud scio an etiam rideant homines prophani hoc paradoxum, de quo haecenus disputamus, qd regna Deo ordinata sint. Nam ratio cum regnorum initia, cum fines, cum principum uicia considerat, longe aliter sentit.

Sed piam mentem oportet intueri, non hanc speciem quæ in oculos incurrit, sed Verbum Dei, ut supra diximus. Atq; hic, ut ad argumentum respondeamus, regnũ seu ordinatio diuina, discerni debet à personis, hoc est, ab his, qui aut inuadunt aut possident. Sicut coniugium ordinatio diuina est, quam uiolare

SCHOLIA PHIL. MEL.

non licet, tamen si qui ducunt dotatas uxores propter
 auaritiam, abutuntur ordinatione diuina. Neq; tamen
 illi qui pecunie cupiditate duxit uxorem, rescindere
 contractum matrimonium licet. Neq; uxori fas est ui-
 rum deserere. Ad eum modum iudicari de principa-
 tu seu de regno debet. Principatus diuina ordinatio
 est, nempe ut multitudo magistratum auctoritate,
 ut legibus, ut iure ac iudicijs, & alijs uinculis pa-
 cis coherceatur, ut quia præsunt dicant ius, muni-
 ant pacē legibus, defendant iudicijs atq; armis. Hæc or-
 dinatio non est numeranda inter res malas, quas, ut lo-
 quuntur nonnulli, permittit fieri Deus, non dicitur cre-
 are sed numeranda est inter propria Dei opera. Sicut
 scimus à Deo solem esse conditum, sicut scimus eius
 mandato institutum coniugium, ita sentiamus ab eo or-
 dinationem illam ^{πολιτικὴν} conditam esse, quæ pro-
 fecto, nisi à Deo conseruaretur, durare non posset in
 tanta improbitate hominum, & in hac Diaboli seui-
 cia, qui cum sit homicida, semel euerteret totum or-
 bem terrarum, ac cædibus omnia misceret. Quanquã
 itaq; ordinatio ipsa sit à Deo, tamen ut alijs Dei mune-
 ribus, ita & hoc munere abutuntur homines. Et quia
 Deus in summo honore, & fastigio rerum humana-
 rum collocauit magistratum, ideo plurimos extimula-
 uit, atq; accendit ambicio, est enim immensa gloriæ cu-
 piditas

IN EPIST. AD COLOS.

*aviditas in humanis animis, ut imperia concupiscerent
ut sine respectu iuris mouerent Respublicas, & sue
cupiditati morem gererent. Semper optimarū rerum
maximus est abusus, quare & principatu plurimi tur-
pissime abutuntur, qui uel inuadunt eum contra ius in-
citati ambitione, uel male administrant. Porro etiam
si abutantur principatu aliqui, non licet tamen subdi-
tis desciscere à presentibus magistratibus, quemadmo-
dum coniugi non licet discedere à coniuge, etiamsi pe-
cuniæ cupiditate matrimonium cōtractum sit, aut con-
iunx forte sit morosior.*

*Hactenus de magistratuum authoritate diximus.
Nam & ipsis prodest suum munus intelligere, & nos
ad obedientiam inuitamur, cum uidemus quantifaciat
Deus illud munus. Nunc de subditorum officio dice-
mus, quod uiam diligenter explicarent populo isti
qui in Ecclesijs docent, præsertim hoc tempore. Quia
enim uulgus sentit quædam uincula traditionum eccle-
siasticarum laxata esse, putat se omnibus legibus solu-
tum esse, magistratuum imperium contemnit, nec con-
siderat quod seuerè de colēda potestate Deus præceperit*

*Hic igitur constituemus, peccare eos, qui non ob-
temperant mandatis magistratuum, sic enim scripsit
Paulus, deoq; necessitate subditi estote, nō solum pro-
pter iram, sed etiam propter conscientiam, quasi*

SCHOLIAPHIL. MEL.

dicat, etiam si publicam pœnam non timeas, tamen cōscientiam tuam Deus ad obediendum potestati obligat. Siquidem latrones ceperunt, licet illi deceptis latronibus, sine eorum incommodo elabi. Sed fallere magistratum, uel si possis id sine eius incommodo, aut sine aliorum offensione facere, nō licet, quia præceptū est, ut propter conscientiam obtemperemus, Hic locus diligenter inculcari populo debebat, ut discerent, & Deum ulcisci cōtemptum magistratum, & propter uoluntatem Dei magistratibus semper obediendum esse, quàmuis dura imperent, modo non cogant peccare Paulus obedientiæ gradus partes etiam recensuit ad Romanos, quas hic adscribemus.

Principio iubet honorem reddere, qua uoce significat sentiendum esse, quòd Dei ministri sint, quòdque Dei uoluntate & consilio nobis præpositi sint. Quia igitur Deo honorem reddere debemus, nam illi proprie competit, debemus etiam honorem ipsius ministris, qui eius uicem apud nos gerunt. Petrus uidetur eos, quia Dei ministri sunt, glorias in posteriore Epi. adpellasse quia gloria Deo proprie tribuēda est. Sed quid est honorem reddere? Vulgus honorem interpretatur signa reuerentiæ, quæ quidem non sunt omittenda, sed nos altius introspiciamus uim præcepti. Honoros est, tribuere alteri sapientiam, iustitiam, bonitatem

IN EPIST. AD COLOS.

tatem, & similia. Tunc igitur adficimus honore ma-
 gistratus, cum grato pectore agnoscimus quæ benefi-
 cia per eos à Deo accipiamus, cum sentimus eorum sa-
 pientia ac iusticia, pacem publicam retineri, defendi
 nostram uitam, coniuges, liberos, & fortunas no-
 stras, quæ cum sint nobis carissima, merito debent eti-
 am cari nobis esse magistratus per quos defendun-
 tur. Sicut igitur Deo grati esse debemus, q̄ illa bona
 dederit nobis, ita & erga magistratus grati esse de-
 bemus, quorum officio custodiuntur. Adhæc regi sa-
 pientia Magistratum nos patiamur, & illorum sen-
 tētijs obtemperemus, etiam sicubi uidemur nobis plus
 sapere. Neque enim solos Magistratus intueri debe-
 mus, sed uoluntatem Dei, qui quia nobis eos præfecit
 cedere illis propter mandatum ipsius debemus. Et hic
 non minima pars est honoris, errata eorum nostra pa-
 tientia tegere, sicut filij Noæ maiores natu tegebant
 partem. Ita Dauid uenerabatur Saulem, & occidere
 nolebat, quanquàm iniustum regem, & hostem. Sed
 ministerium & officiū uenerabatur, tamen si minister
 indignus isto munere esset. Præcipuus autem honos
 est, Deum orare pro principibus, ut eos gubernet, ut
 prudentiam eis suppeditet, ut fortunet eorum cōsilia,
 ut retinere pacem publicā & bonū Reipublicæ statu-
 queant. Quod si sentimus potestatem Dei ordinatio-

SCHOLIA PHIL. MEL.

nem esse, profecto à Deo petendum est, ut suam ordinationem conseruet. Nam Diabolus magna uicinatetur perturbare publicam tranquillitatē, aduersus hūc bellum nobis gerendum est, & adiuuandi principes sunt non armis, non ferro, sed fide & oratione. Itaq; clare præceptum est in scripturis, ut oremus Deū pro potestatibus, Ieremiæ. 29. Querite pacem ciuitatis ad uos transmigrare facit, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit uobis pax Et. 1. Timothæum 2. Orationes fieri pro regibus, ut quietam & tranquillā uitam agamus cum pietate & honestate. His præceptis cogit nos ad orandum sentiamus, & quoniam scimus Deo curæ esse suam ordinationem, credamus q̄ eā conseruaturus & gubernaturus sit. Ipse enim suas ordinationes conseruat, quare & orare nos iussit, fiat uoluntas tua. Nihil est uulgarius quàm de magistratibus queri, beneficia quæ per illos accipimus, nemo intelligit, uicia omnes uident, alius negligentiam, alius seuitiam accusat, quemadmodum calumniabatur patrem Absalon. At eiusmodi querelas prohibet scriptura, cum inquit. Principi populi tui, non maledices. Contra autem præcipit, ut salutem magistratuum præcibus nostris Deo commendemus. Quotusquisq; autē meminit huius præcepti, ibi sapimus in criminandis principibus, ubi non oportuit, dolet tibi, q̄ male administratur

IN EPIST. AD COLOS.

ministratur Respublica, quod tranquillitas communis
uarijs motibus perturbatur, nō accusemus principes.
Nos ipsos accusemus, qui debebamus nostris orationi-
bus iuuare principes. Vel si non haberemus alia pec-
cata, tamen hoc peccatum merebatur poenam, quod
non obtemperemus diuino mandato, quod præcipit
nobis, ut pro potestatibus oremus. Nam principum
uigilantia irrita est, si Deus non iuuat eam, sicut scri-
ptum est, Nisi Dominus custodierit ciuitatem. Et eius
rei infinita exempla est in historijs uidere: sicut in cor-
pora singula membra reliqui corporis salutē tuentur
ita & nos debemus existimare principum salutem ad
nos pertinere, eamq; iuxta Dei uoluntatē nostris offi-
cijs defendere. Neq; uero est uoluntas Dei, ut crimina-
tione aut seditionibus eorum uitia emendētur. Ita cō-
sulemus publicæ salutis, si iuxta præceptū Dei, & ora-
bimus pro Magistratibus, & diligenter parebimus.
Est itaq; hic præcipuus honor quē illis debemus, Deo
gratias agere pro beneficijs, quæ per Magistratus
consequimur, & petere ut eos defendat ac gubernet.

Secundo iubet Paulus Magistratui timorem reddi
Hic impij tantum supplicia considerant, non cernunt
uoluntatem Dei. Docendi sunt igitur homines, ut iu-
diciū Dei metuāt, ut sciant factam ordinationem à
Deo puniendis delictis, quam etiam si Magistratus

SCHOLIA PHIL. MEL.

non possint exequi, tamen Deus exequitur. Nunquā igitur euadunt homicidæ. Nullum facimus ita cæleri potest, ut non proferatur in lucem. Ideo scriptū est, Multa flagella peccatorū, in chamo & fremo constringes eos: & Prouerb. 26. Flagellum equo, & chamus asino, & uirga in dorso imprudentium. Et Prouer. 24. Time Dominum fili mi, & regem, & cum seditiosis ne commiscearis, mox enim instabit interitus eorum. Et Eccle. 5. Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei. Et paulo post negat fontes euadere posse uindictam diuinam. Ait enim, non sinitur quiescere ingruente bello, neq; saluabit impietas impium. Hi loci docent nos diuinā uindictam esse, quam exercet Magistratus, quare nullo modo arbitremur facinorosos elabi posse. Proinde Paulus præcipit, ut non tantum secures & uirgas Magistratum, sed etiam iudicium Dei formidemus. Ideo & Salomen inquit, Terror regis est, perinde ut rugitus Leonis, qui offendit eum, peccat anima eius. Significat enim Deum ulcisci peccatum, uel si Magistratus ulcisci nequeat.

Postremo præcipit operas ac tributa reddi, de quibus scriptū est 1. Reg. 5. Sicut reddidit censum Christus, & iussit dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Opus est enim Magistratui ad alenda præsidia, ad constituenda iudicia, ad conducendos homines idoneos ad docendum

IN EPIST. AD COLOS.

dum, ad res iudicandas, & pecunia, & operis nostris sic enim ait Paulus, tributa praestari, quia Magistratus in hoc incumbat, ut retineat pacem. Sunt autem alias mitiora onera, alias acerbiora, sicut Ioseph redegit in seruitutem totam Aegyptum, & coegit quotannis p̄dere quintam partem frugum, uindicauit enim ferociam gentis acerbioris imperij forma cohibendam esse. Et quemadmodum peccata nostra crescunt, ita paulatim creuit acerbitas imperiorum, ut significauit statua in Danelle, ubi primum regnum aureum, secundum argenteum, tertium aeneum, quartum ferreum pingitur. Quare docendi sunt homines, ut aequo animo seruitutem, etiam sicubi durior est, tolerant, & sciant eam iudicio Dei crescere, ad frenandam nostram malitiam subinde crescentem.

Hic etiam de legibus quaeri solet, an liceat Christiano Magistratui ex legibus Ethnicorum ius dicere. Et hac de re memini Carolo Stadium miras tragedias excitare, qui nos ad legem Mosaicam reuocabat, & contendebat Romanis legibus explosis, lege Moysi in foro utendum esse. Memini alium quendam nouam *σδοαχθεια* secundum ius Iubilei in lege Moysi, uoluisse docere, eius dogmatis iam semina quaedam sparserat, ex quibus magni tumultus extiterunt. Haec ideo commemoro, ut lectores admoneam, ne quis in

SCHOLIA PHIL. MEL.

eosdem errores impingat. Error est enim sentire quòd Christiano non liceat gentiliū legibus, quæ de possessione bonorum, deq; omnibus forensibus negotijs constituunt, uti error est, cogere Christianos ut legibus Mosi utantur. Immo sicut seditiosum est, Magistratus contumelia afficere, ita seditiosi sunt iudicandi qui criminantur præsentēs leges, & abolere conantur, si non habeant ius ferendi leges. Nam idem honos debetur legibus, qui magistratibus debetur, et quemadmodum nostra sapientia cedere Magistratuum uoluntati debet, ita cedere legum iudicio debebit, etiã si duriores alicubi uideantur. Quòd autem liceat uti gentilibus legibus in ciuilibus negotijs dijudicandis, intelligi potest ex ratione libertatis Christianæ, sicut enim non oportet nos ceremonias legis Mosaicæ seruare, ita neque oportet nos seruare præcepta iudicialia. sed liberum est nobis, omnium gentium inter quas uiuimus, legibus uti, sicut uestitu, lingua, uictu earum gentium utimur, quia Christianus, neq; Iudæus est, neque Græcus, hoc est, in his rebus quæ ad corporalem uitam pertinent, ad libertatem, ad seruitutem corporis, ad res tenendas, ad hæreditates adeundas, & similia ciuitatum iura, uti potest uel Iudaicis legibus, uel Græcis, uel Romanis, uel Saxonis: ubicunq; uiuit, sequitur leges eius regionis, non aliter atq; apud
alios

IN EPIST. AD COLOS.

alios longiore, apud alios breuiore de utitur. Sic Paulus iure ciuitatis Romanæ usus, defendit uitam. Et Christus censum dedit, & seruiuerunt multi sancti, & Centurio, Cornelius, & proconsul Sergius Magistratus Romanos gesserunt. Et Iohannes Baptista cum iubet milites Romanos stipendijs suis cōtentos esse, adprobat stipendia, & functionem. Sic etiam Daniel exercuit Iurisdictionem apud Assyrios, non ex lege Moysi, sed ex legibus Assyriorum. Sed hic totus locus, ut dixi, clare intelligi ex natura libertatis Christianæ potest, de qua infra dicemus. Facit huc etiam locus in Actis capit. 15. ubi Apostoli clarissime pronunciant, quòd Christiana iustitia, sit fides, purificans corda, & quòd non sit obseruatio certarum ceremoniarum, aut aliarum corporalium ordinationum de rebus ciuilibus, & uctant gentibus imponere iugum legis Moisaicæ, imò docent graue peccatum esse, alligare gentes ad ordinationes Moisaicas, abrogatis ciuilibus ordinationibus gentium. Sic enim scriptum est, Quid tētatīs Deum? Et argumentum ibi ex nomine gentium tractum est. Gentes requirent Deum, ergo gentes non debent cogi ad legem Moysi recipiendam, desinerent enim esse gentes, si legem Moysi reciperent. Constat igitur licere Christianis, uti gentilium legibus, modo ut cum lege naturæ, seu ratione consentiant.



SCHOLIA PHIL. MEL.

Paulus enim tradidit regulam dijudicandarum legum
Si puniant flagitia, & habeant honorem recte factis,
probandæ sunt. Habemus autem legem naturæ, id est,
quasdam sententias diuinitus inscriptas animas, ex qui-
bus omnes gētes iudicare possunt de moribus, quæ ho-
nesta, ac iusta, quæ sint turpia, sicut Paulus docet, Ro-
man. 2. Habent legem scriptam in cordibus. Et cum sa-
pientiam mundi nominat, tribuit hominibus naturale
iudicium res corporales administrandi. Idem signifi-
catum est in Genesi, Cum homines cætere res subie-
ctæ sunt, ut eis dominetur, id est, ut eas administret.
Non potest enim administrare eas, nisi certo iure de-
scripto efficiat, ut suum quisq; teneat. Proinde rectæ
leges sunt, quæ cum ratione naturali consentiunt, &
puniunt turpitudinem. Sibariticæ aut Milesiæ leges,
quia non puniunt turpitudinem, nō sunt leges, sed hor-
renda exemplaræ diuinæ, proposita nobis, ut cerna-
mus quo ruant homines à Deo deserti, & in repro-
bum sensum traditi. Etenim ne naturale quidem iudi-
cium sine auxilio Dei incolume possumus retinere, si-
cut docet Salomon, cum inquit, Vbi oculus uideat, ut
auris audiat, Deus facit utrunq;. Paulus ad Romanos
uocat etiam gentium leges, diuinam ordinationem.
Deus enim gubernat mentes Magistratum, ut su-
pra diximus, quare & leges Dei opus sunt, idque
significa

IN EPIST, AD COLOS.

significauit Salomon cum ait, Dominatio in labijs regum, quasi dicat, reges in colendis legibus & iuris dictione, diuinitus regi & gubernari. Adhæc ideo Dei ordinatio uocari leges possunt, quia colliguntur tanquam ex principijs conclusiones, ex naturali notitia honesti ac iusti, quam Deus inscripsit animis hominum Iurisconsulti eam uocant, cum ius naturæ, tum ius gentium Quæ dissentiunt ab illo naturali iudicio, ut leges Milesiæ, non sunt leges, sed *καταστροφή* & confusio quam Diabolus efficit, impellen homines, ut quodam furore perciti, cum natura sua pugnent. Econtra iustæ leges sunt, quæ cum illo naturali iudicio consentiunt, etiam si alijs locis duriores, alijs locis mitiores sint, sicut alia corpora acrioribus remedijs, alia lenioribus curantur. Nam ferociores populi, durioribus legibus ac supplicijs coercendi sunt. Utitur itaq; Christianus legibus suæ ciuitatis, ubicunq; uiuit. Lex Mosi dabat decimas sacerdotibus nos decimas dare ijs debemus quibus nostræ leges aut Magistratus reddi iubēt Lex Mosi duas hereditatis partes primogenito dabat. Nos distribuere hereditates iuxta patrias leges debemus. Lex Mosi non suspendit eum, qui simplex furtū fecit. Iudici Christiano licet suspendere talē furem iuxta receptas leges, & consuetudinē, quæ uim legis habet. Lege Mosi annus

SC H O L I A P H I L . M E L .

Septimus liberabat seruos, Iubileus restituebat inamissas possessiones. Huiusmodi legibus nos non tenemur sed debemus parere nostris. Si qui per ambitionem leges presentes uituperant, illi sciant se non minus esse seditiosos, quàm si Magistratibus maledicerent. Idem enim honos debetur legibus ac Magistratibus. Quare discamus presentes leges amare ac boni consulere & retinere studeamus, etiam si quid habeant incommodi, quia nullum est presentius uenenum rebus publicis quam legum mutatio. Et nota est uetus sententia, τὸ κακὸν ἢ κέρδιον μὴ κινεῖται. Caueant autem in primis isti qui in Ecclesijs docent, ne tanquam tribunitijs rogationibus debacchentur aduersus leges publicas. Neq; enim ad officium eorum pertinet ciuilia negotio gubernare. Sicut neq; Christus hereditatem distribuere uoluit, non enim gerebat Magistratum, aut ciuile regnum.

Hactenus docui Magistratibus parendum esse, & facienda omnia quæ imperant, quæ sine nostro peccata facere possumus. Sic ubi autem imperant, ut faciamus contra diuina præcepta, ut cum principes Iudeorum Apostolis edicunt, ne doceant. Hic sequenda est regula, Opertet Deo magis obedire, quàm hominibus. Quæ sine nostro peccato præstare possumus, tametsi iniuste principes exigant, ea omnia præstare debemus.

At cum

I N E P I S T . A D C O L O S .

At cum peccare præcipiunt, ut si iubeant ab Euangelio deficere, hic non est eis obtemperandum. Deinde ita recuses obtemperare, ut tamen uim aduersus eos nullam pares, sed si uelint te per iniuriam occidere, patiaris, sicut Christus & Apostoli passi sunt. Nã aduersus magistratus etiam cū iniuriam faciunt, uim parare, seditio & peccatum est, quia scriptum est, Qui potestati resistunt, iudicium sibi acquirunt.

Venio nunc ad disputationem de traditionibus Ecclesiasticis, de quibus breuiter, quid sentiam, exponã. Primum, quædam traditiones pugnant cum diuinis præceptis, ut traditio de mundinatione Missarum, hæ non sunt seruandæ, quia scriptum est, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Talis est etiam traditio de coelibatu, quam qui continere non possunt, seruare non debent, sed sequantur mandatum Dei, Melius est nubere, quam uri. Aliæ sunt traditiones de medijs rebus, ut uocãtur, id est, de his quæ sine peccato fieri possunt, de obseruatione certorum ieiuniorum, certarum feriarum, & similium rerum. De his magna controuersia est, an sit peccatum, eas uiolare. Hic scriptura docet, q̄ certe obseruationes ciborum, uestitus, feriarum, & similium rerum non sint necessariae ad iusticiam aut salutem, nec sint cultus Dei, nec sint opera utilia ad placandum Deũ, ideo ait Christus

SCHOLIA PHIL. MEL.

Frustra colunt me mandatis hominum. Et paulus ad i
 Colo. Nemo uos iudicet in cibo, potu, aut parte diei
 festi, id est, nemo doceat uos peccare, nō seruantes tra
 ditionē de cibo, potu, aut similibus rebus. Et ad Gala.
 Nolite iterū iugo seruitutis subijci. Et Matth. 9. Qua
 re discipuli tui non ieiunant, ubi Christus excusat di
 scipulos. Item, Regnū Dei nō uenit cū obseruatione.
 Ex his sequitur, q, qui seruāt has ordinationes, ita ser
 uare debeant ut sentiāt nō esse necessarias ad iusticiā
 nec utiles esse ad placandum Deū, nec requiri à Deo
 Imò si sentiant ea opera satisfacere pro peccatis, gra
 uiter peccabūt, impingēt enim in illas sentētiās, quas
 iam citauimus. Necessariū est igitur impiā de talibus
 obseruationibus opinionē acijcere. Ceterū, ritus ipsi
 retineri possunt, sicut multos ritus ciuiles retinemus.
 Milites uersiculore ueste utūtur, scholastici nō utun
 tur, non q, hæc obseruatio sit cultus Dei, aut, q, pec
 cent qui diuersum faciūt. Et mihi ueteres Canones ex
 cutienti lōge alia mente, & facta, & seruata tradi
 tiones uidentur, quā, quia postea cœperūt exigi. Ve
 teres ordinarunt certas cantiones, ne in ecclesia cōfu
 sio esset, si suā quisq; cantilenā caneret, Paulus enim
 iubet omnia decore fieri in ecclesia. Constituerūt cer
 tos dies ut populus sciret, quando ad discendū conue
 nire deberet. Festa discerni uoluerunt, ut memoria hi
 storic

IN EPIST. AD COLOS.

Storiae firmior retineretur. Item, ut alia alijs temporibus docerentur, fortassis addiderunt ieiunia quaedam, ut in ferijs magis esset idoneus populus ad discendum. Non uideo in ueteribus Canonibus onerari conscientias, quae peccent mortaliter, qui non obseruent eos Canones. Noua est haec persuasio, quae ordinationes istae sint cultus Dei, quae satisfaciunt pro peccatis. Hinc augeri traditiones coeperunt. Cum autem alia opera sint irritus cultus, sicut pronunciat Christus, possunt etiam omitti sine peccato, nisi ubi scandali causa praestanda sunt, id exempla ostendunt. Nam et discipuli Christi uolauerunt traditiones. Et Paulus inquit, Nemo uos iudicet in cibo et potu, id est, nemo sentiat uos peccare, uolatis traditionibus, complectitur enim ibi et Mosaicarum ceremoniarum, et traditiones humanas.

Sed hic aduersarij obijciunt uocem Christi, omnia quae dixerint, facite, ubi uidetur loqui etiam de traditionibus quas Pharisei condiderant, quia subiicit, alligant onera. Nonnulli sic respondent, Christum loqui de lege Moysi, quia de scribis sedentibus in Cathedra Moysi loquitur. Tunc autem, cum legem Dei docent, sedent in Cathedra Moysi, non cum suas traditiones docent, sic Vulgarius enarrat eum locum. Sed nos ita respondemus. Quoquo modo illa Christi uox accipitur, tamen hoc constat, nulla praeccepta esse recipienda, quae

SCHOLIA PHIL. MEL.

pugnant cum uerbo Dei, ideo enim Christus ait, Attendite à falsis Prophetis, & sæpe aliàs iubet scriptura cauere, ne audiamus Pseudoprophetas, Hieremi. 13 Nolite audire. Et Galat. primo. Si quis Euangelizauerit uobis præter id quod accepistis, Anathema sit. Et Matthæi. 23. condemnat Phariseos, quòd propter suam traditionem uiolabant mandatum Dei. Et in illo ipso capite Matthæi 23. imprecatur uæ his, qui propter traditionem Pharisæicam de auro templi, uiolabant iusiurandum. Sed quid colligo testimonia in re non dubia? Sunt autem traditiones de medijs rebus, etiam numerandæ inter eas, quæ simpliciter pugnant cum uerbo Dei, quando exiguntur, aut tanquàm profuturæ ad promerendam gratiam, aut tanquàm necessariae ad salutem. Christus enim regat nos promereri gratiam talibus obseruationibus, ut supra citauimus, Frustra colunt me mandatis hominum. Et scriptura uult usum eiusmodi rerum liberum esse. Vocat enim Paulus doctrinas Dæmoniorum, quæ prohibent coniugium, quæ discernunt cibos. Quare cum iubet Christus facere, quæ scribæ præcipiunt, cogit nos res ipsa eam uocem sic accipere, ut non intelligamus probari præcepta pugnantia cum uerbo Dei. Constat autem certa ieiunia & similes ritus exigi hoc consilio, quòd sint opera necessaria ad salutem, instituta ad pla-

IN EPIST. AD COLOS.

ad placandum Deum, ad promerendam gratiam Allegatur Canon male intellectus, frustra seruari Euangelium ab his, qui Canones non obseruent. Sicut igitur Petrus coactus est uesci immundis, ut eximeretur & opinio impia de ceremonijs legis, ita & nos sine peccato illas ordinationes omittere possumus, sicut & Matthæi decimo quinto, Discipuli non paruerunt traditioni seniorum. Hæc doctrina propter quosdam qui ea turpiter abutuntur hoc tempore in magno odio est cum Gersonem eadem docentem antea nemo perinde oderit. Si quis autem expendet, quantam carnificinam conscientiarum exercuerint ante hoc tempus isti qui docuerunt in Ecclesijs, in exigendis traditionibus æquior erit opinor his qui publicum errorem ostenderant. Nemo traditionibus satisfaciebat, nemo ieiunia rite seruabat. Quoties preces suas omittebant sacrificuli? Et tamen lædebatur conscientia in uiolandis traditionibus. Et illa conscientie offensio aut desperationem pariebat, aut contemptum Dei. Nam qui sæpe uiolabant, obdurabantur consuetudine, & contemnebant iudicium Dei, & quia non norant discernere inter mandata humana ac diuina, ideo nihilo pluris faciebant præcepta Dei, quàm has traditiones. Huiusmodi multa scandala nata sunt ex illa duriore interpretatione traditionum, ut non dicam de his, qui

SCHOLIAPHIL. MEL.

ex observatione earum falsam fiduciam induerunt. Neq; hic recitabo, quod satisfactionibus nostris obscuratum est beneficium Christi, nec intellecta gratuita remissio peccatorum. Qui hæc uicia considerabunt, agent gratias Deo, quòd ostenderit, quid de traditionibus humanis sentiendum sit. Hæc ideo dixi, non q; probem eos, qui omnes ritus abolent, qui nullas ueteres ordinationes obseruant, sed ut doceam, falsam opinionem de traditionibus abijciendam esse. Interea tamen hoc præstandum est, ne traditiones quæ sine peccato seruari possunt, uiolentur apud eos, qui nõ recte intelligunt doctrinam libertatis, ne cui scādalo simus. Sed de scandalo aliàs grauis est comminatio Christi, Væ homini, per quem uenit scandalum. Hæc debebat nos commouere, ut caueremus ne cui nostra exempla nocerent.

CAPVT

IN EPIST. AD COLOS.
CAPVT III

SI IGITUR &c.

Superioribus duobus capitibus docuit Paulus quomodo iustificemur, ea doctrina fidei est, qua credimus nobis propter Christum gratis condonari peccata. Estque hæc ancora, hic portus ad fluctuam & territam conscientiam, uidere ac sentire, quod gratis Deus nobis ignoscatur & gratis iustificetur. Quia cum nostra merita semper uideamus esse contaminata, sicut Esaias ait, Iustitiæ nostræ pannus menstruatæ quomodo possent territam mentem consolari? At cum reijcimus oculos in Christum, & cernimus illum satisfecisse pro nostris peccatis, & propter eum nobis ignosci, tum accipimus consolationem, & consequimur uitam, iustitiam, pacem, & omnia bona. Sicut Paulus ait, Iustificati ex fide, pacem habemus apud Deum. Nam cum sentit mens Deum placatum esse propter Christum, uidet eum adesse, ut iuuuet nos, ut tegat, ut gubernet in omnibus periculis, denique ut saluet nos. Idem est habere Deum, & nosse Deum, sicut ait Christus, Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti,

SCHOLIA PHIL. MEL.

Fides efficit in nobis aliã uitã & spiri- tualẽ quidẽ. Iesum Christum. Hæc est prima pars doctrinæ Christianæ, quam hætenus in epistola tradidit Paulus. In his sequentibus capitibus tradit præcepta morũ, quia, cum fides illa, de qua dictum est, efficiat nouam uitam & spiritualem & participem naturæ diuinæ, necesse est sequi actiones & mores, quales Deus exigit. Vbi non sunt eiusmodi opera, ibi nõ est uera fides, sed quædam fidei simulatio.

Orditur autem Paulus hoc caput à circundictione Rhetorica. Cum resuscitati sitis, quærite ea quæ sursum sunt, ubi Christus est ad dexterã Dei sedes. Neq; tantum argumentum à causa seu à debito tractum est, sed etiam à possibili seu à facili. Cum dicit, Resuscitati estis, colligit à causa, seu debito, quasi dicat, Alia uita alios mores adfert. Nouam uitam consecuti estis & participem diuinæ naturæ, debent igitur actiones esse quæ placeant Deo: sicut & Ephesio. 2. scriptum est. Ipsius factura sumus, conditi per Christum Iesum ad bona opera. Et Christus Matth. 12. grauissime comminatur his qui iustificati nõ faciunt fructus bonos. Erũt nouissima (inquit) illius peiora prioribus.

Secundo, quod admonet nos Christum sursum esse & sedere ad dexteram patris, argumentum est à possibili, quasi sic dicat, Agite, uos debetis luctari cum carne, cum Diabolo, cum mundo, quæ autem sunt tantæ uires

IN EPIST. AD COLOS.

ta uires humanae, quae consistere aduersus iam ualentes hostes possint? nulla. Proinde reijcite uos in Christum, ille quia ad dexteram Dei sedet, hoc est, regnat cum patre, uestri curam gerit, uos exaudit, uos defendit, adiuuat in omnibus periculis, ab illo opem et auxilium nihil dubitantes, postulate. Sic poterimus et Diaboli insidias superare, et uincere infirmitatem carnis, hoc est, fidei exercitium, ut tanquam in aciem ueniens, ad domandam carnem, ad superandas Diaboli insidias, assidue postulet, et expectet auxilium à Deo. Alludit autem Paulus ad locum Psal. 67. Ascendisti in altum, coepisti captiuitatem, accipisti dona in hominibus. Principio quod ait, ASCENDIT, colligit Paulus filium Dei prius descendisse, hoc est, humiliatum esse, carnem induisse, crucifixum esse. Deus enim, si non esset humiliatus, si non induisset humanam naturam, non diceretur ascendisse, cum iam ante sursum, id est, in gloria esset. Ascendit igitur Christus in altum, id est, glorificatus est, resurrexit, et regnat cum patre pari potentia, omnia in omnibus perficiens. COEPIT CAPTIVITATEM, id est, sustulit peccatum, et potentiam Diaboli et motris. Nam per Christum peccatum deletur in his, qui credunt, et dantur eis uires aduersus Diabolum, et datur uita aeterna. Postremo, ACCE-

K

SCHOLIA PHIL. MEL.

PIT DONA PRO HOMINIBVS, id Paulus fecit, dedit dona hominibus. Est autem haec pars maxime consideranda, haec uox semper obuersari animo debet, Dedit dona hominibus, seu dat dona hominibus, significat enim ideo Christum ascendisse, ut dona daret, id est, ut iuuaret nos, daret Spiritum sanctum, & fructus Spiritus sancti. Si ideo audis ascendisse Christum, ut dona largiatur, postulare igitur & expectare auxilium debemus. Alij legunt, accepit dona pro hominibus, ut sit sententia, accepisse Christum à patre dona, sed quae distribueret inter homines. Si quis mauult legere, **ACCEPTIT DONA IN HOMINIBVS**, eodem redibit sententia, significat enim sic ascendisse Christum, ut nos exaudiret. Nam dona accipere à nobis est exaudire preces nostras, nos ei curae esse. Etenim dij gentium aures habent & non audiunt. At noster Deus exaudit & iuuat precantes, sicut & scriptum est, Quidquid rogaueritis patrem in nomine meo, dabitur uobis. Item Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Est igitur in hoc Pauli loco ad Colossenses argumentum à possibili seu facili propositum. Et sic hortatur nos, ut ne patiamur nos decipi à Diabolo, neue sinamus nos à cupiditatibus carnis expugnari, quasi dicat, magnam rem uobis praecipio, sed facilem, si respexeritis, ubi Christus sit

Christus cur
coelum ascē
derit.

IN EPIST. AD COLOS.

stus sit, quid polliceatur, nempe se dona daturum hominibus, se opitulaturum nobis esse, foelices uero qui audent postulare, & expectare coeleste auxiliū. Certe multo magis cupit Deus largire, quā nos cupiamus accipere, sicut Dominus ait, Si homines qui mali sunt, possunt dare bona dona hominibus, quanto magis pater uester qui in caelis est?

QVE SVRSVM SVNT, QVAERITE &c.

Figura sermonis est in sacris literis, significant enim, ea quae sursum sunt, bona coelestia, seu spiritua-
lia, ut sunt fides, pax cordis, patientia, charitas, castitas & similia. Ea quae desursum sunt, significant bona carnalia, ut uoluptates, diuitias, gloriam mundi. Sic loquitur & Salomon Prouer. 15. Semita uitae sursum fert, ut doceat uitare infernum deorsum. Infernū enim uocat, carnalia bona, sicut uocat illa mortem Paulus, adfectus carnis mors est.

Diligenter hic considerandum est, quae bona amet & querat humana natura per se. Nihil enim aliud amat, expectat, aut sperat, nisi uoluptates, diuitias, aut gloriam mundi, sicut Paulus ait Roman. 8. Adfectus carnis non potest legi Dei subijci. Et 1. Iohannis 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia uitae. Rursus etiam caro nihil metuit aut odit, nisi talium bonorum iacturam. Sed Spiritus sanctus iudicat hanc

SCHOLIA PHIL. MEL.

Spiritus sanctus efficit in sanctis metum diuini iudicij, & pudorem, sicut Paulus loquitur, ut seruo displiceant cupiditates, & sicut Iohan. 16. scriptum est, Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio, id est, Spiritus sanctus arguet & condemnabit concupiscentiam in cordibus hominum, quam mundus non iudicat malum esse.

Deinde incitat Spiritus sanctus ad quaerenda bona caelestia, id est, ad fidem & spem, hoc est, ad postulandum, ut Deus augeat in nobis cognitionem sui, hoc est ut amplitudo misericordiae eius cognita augeat in nobis fiduciam erga ipsum. Item ut cognita nostra infirmitate, & insidijs Diaboli, efficiat nos sentire, quod non possimus consistere, nisi ipse nos gubernet, & ardentius postulare, ut ipse nos regat, sicut scriptum est, Ne nos inducat in tentationem. Etenim si crederemus uerum esse, quod ait Christus, Sine me nihil potestis facere, & si sciremus nobis ita Diabolum insidiari, sicut scripsit Petrus, Tanquam Leo rugiens quaerit quem deuoret, profecto non desineremus à Deo opem postulare. Sequuntur caetera, caro odit crucem, Spiritus sanctus incitat ad perferendam crucem, & amittenda bona carnalia, & efficit ut sentiamus in afflictionibus, Deum nobis opitulari & adesse, sicut ait Paulus, Habemus spiritum in quo clamamus, Abba pater. Ita
 quanq̃

IN EPIST. AD COLOS.

quāq̄ prorsus oculi carnales nihil auxiliij uideāt. Imō etiam uideant nos occumbere & deseri, tamen facit, ut in Verbo hāreamus, & expectemus ea quæ non uidemus, sicut ait Paul. Spes quæ uidetur, non est spes. Deus opitulatur in ad-
fictionibus.

Cum igitur ait, quærite, sentite ea quæ sursum sunt de ueris adfectibus loquitur, non tantum de externa simulatione ciuiliſ uitæ. Sic etiam Christus dixit, Quærite regnum Dei.

MORTVI ENIM ESTIS, ET VITA VESTRA ABSCONDITA EST CVM &c.

Sicut antea à resurrectione argumentum à causa, seu debito traxit, ita nunc eiusdem generis argumentum trahit à mortificatione, quasi dicat, Si estis uere mortificati, ergo non debebunt uiuere mali & uitiosi fructus carnis, scortatio, odia, & similes. Supra autē dixi mortificationem esse ueram pœnitentiam, hoc est uere perhorrescere iudicium Dei, & timere iram Dei. Talis pœnitentia audit uocem Christi, Vade & noli amplius peccare. Nam securi homines, & uacui serio metu Dei, neq; fidem habent, neq; ulla bona opera exercent, sicut testatur Paulus ad Ephes. 4. Propter stuporem cordis, qui quia dedoluerunt, se tradiderunt impudicitie &c.

Hoc signum, & hanc notam impiorum esse docet,

K iij

SCHOLIA PHIL. MEL.

dedoluisse, hoc est, nullo metu tangi, securos contemne-
 re iudicium Dei, id etiam stuporem cordis uocat. Stupe-
 rent enim ea membra quæ rigent, & tanquam amissa
 uita, nullos motus, nullos adfectus recipiunt. Sic isti
 Impij nõ mo- uita, nullos motus, nullos adfectus recipiunt. Sic isti
 uentur diui- prorsus nihil mouentur diuinis comminationibus. Si-
 nis cõminati- milis est descriptio impiorum apud Hieremiam, cum
 onibus. ait, Erubescere nescierunt.

VITA VESTRA ABSCONDI &c.

Prolixe tractauit eandem sententiam ad Roma. s
 Nam adhortationi consolatio nem admiscet. Mortui,
 inquit, estis, & quotidie mortificemini. Neq; tamẽ ad
 huc adparet coram mundo glorificatio uestri, non so-
 lum mundus & diabolus persequuntur sanctos, sed
 etiam ipsi sunt reuera imbecilles, & propter infirmita-
 tem sollicitantur ad desperationem, & non audent cõ-
 fidere se tãtopore diligi à Deo, sicut Euangelium pro-
 mittit. Si enim cor humanum sentire posset, uere nos
 Deo curæ esse, & respici inuocantes eum, & diligi,
 facile omnes ad afflictiones in mundo contemneret. Sic
 igitur infirmos consolatur Christus, Luc. 12. Nolite ti-
 mere pusillus grex, quia complacuit patri uestro da-
 re uobis regnum. Et hic ait Paulus uitam esse abscon-
 ditam in Deo, hoc est, latere tectam & defendi à Deo
 quæ tamen ostendet se, quando Christus ostēdet se ite-
 rum mundo. Si hunc locum referas ad communes ad-
 afflictiones

IN EPIST, AD COLOS.

fictiones, facilius intelligetur. In omnibus adfictionibus quia Deus non statim pro eo, ac infirmitas humana desiderat, auxilium ostendit, planeq; deserti uidemur, ideo iubet nos confidere & sentire, quòd uita nostra tecta lateat apud Deum, id est, quod Deus eam custodiat, etiam si deseruisse uidetur, & sit auxilium opportune laturus, sicut illi in Psalmo queruntur, Multi dicunt quis ostendet nobis bonum? quasi dicat, Magna de Deo promittuntur, quod sit seruaturus & defensurus, & adiuturus eos qui inuocant eum. Sed diuersum fieri uidemus, deseruntur, & occiduntur, sicut Abel occisus est, Abraham, David, & similes uarie uexati sunt. Deniq; hæc cõmunis querela est infirmorum animorum, quod Deus nimis diu differat auxilium, quod non statim nos iuuet. Proinde & in eo Psalmo iubet eos sperare, dicit id esse sacrificium gratissimum Deo, expectare, quamuis diu dilatatum auxilium. Ita hic Paulus dicit uitam, hoc est, omnis generis consolationes abditas esse, & promi & ostendi nobis, quando Deo uidetur, nec propterea nos desertos esse etiam si aliquandiu adfligi nos Deus sinat.

MORTIFICATE MEMBRA VESTRA

Hic incipit in specie tradere præcepta de moribus
Mundus autem tantum coercescet externa membra,
Euangeliũ exigit puritatẽ cordis. Proinde primũ est

K iij

Cur Deus differat ali- quando auxi- lium.

SCHOLIA PHIL. MEL

Mortificatio
quid sit

animaduertendum est, quod ait, mortificate membra uestra. Est autem mortificatio, non tantum humana quaedam coercendi diligentia, aut externi cruciatus, sed quando uerus metus Dei absterret nos à peccando, ita ut uere perhorrescat cor, metu diuini iudicij, cum ad peccandum sollicitatur. Sic percussum cor, infirmitatem suam agnoscit, & opem à Deo implorat. Talis mortificatio, opus est Spiritus sancti, sicut Rom. 8. docet, Si spiritu facta carnis mortificabitur, uiuetis. Foris autem talis mortificatio etiam ad sobrietatem, ad labores inuitat, sicut Paulus ait, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.

Petulantia
carnis laboribus deprimenda est.

Est & quaedam diligentia coercendi carnem, quae fit tantum humanis uiribus, quam etiam exigit Deus ut adparet in hac sententia, Lex est iniustis posita. Item Prouerb. 27. Flagellum equo, chamus asino, & uirga in dorso imprudentium. Hic ieiunijs, & alijs laboribus & poenis, seu metu poenarum, petulantia carnis deprimenda est. Sed haec disciplina humana, seu corporalis non dicitur mortificatio. Est tamen, ut dixi, carnalibus necessaria. Mire ipsa uitia membra uocat, ut significet naturam ipsam uitiatam esse, sicut ad Romanos 7. ait, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Et Gen. 6. Omne desiderium cogitationum cordis humani prauum est

omne

IN EPIST. AD COLOS.

omni tempore. Ille uero impetus & propensio ad peccandum, dicitur peccatum originale.

VETEREM HOMINEM &c.

Nouus homo dicitur, non qui ratione tantū se cohercet, nam ratio ad ueterē hominem, pertinet. Adfert enim homo secum rationem, cum nascitur. Sed nouus homo dicitur qui per spiritum sanctum renouatur, & in quo spiritus sanctus timorem Dei, fidem, castitatem, caritatem, & similes bonos fructus efficit Iohan. 1. Ex Deo nati sunt. Et. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Et hic ita definiuit nouum hominem esse, qui renouetur ad cognitionem, iuxta imaginem eius qui condidit eum, id est, nouus homo est, qui crescit cognitione Dei, hoc est, qui uere sentit Deum respicere nos, & irasci peccantibus, & propterea timet Deum, sentit & uere Deum ignoscere propter Christum, his qui agunt poenitentiam. Et sentit propè adesse Deum, iuuare & regere sanctos. Qui sic de Deo sentit, is uere nouit eum. Nec est nosse Deum, multa subtiliter cogitare, de natura eius: sed uoluntatem erga nos nosse, iram aduersus peccatum, & misericordiam erga timentes eum, ea est uera Dei cognitio. Sed quid est, quòd ait iuxta imaginē Dei. Quidam imaginem Dei in ratione posuerunt, & in ueteri homine, quod si quaedam trinitatis effigi

Qui uere
Deum nouerunt.

SCHOLIA PHIL. MEL.

gies in nostra mente, quia memoria gignat intellectio-
nem. Memoriam atq; intellectioem comitetur uelle,
ut pater filium gignit. Vocatur enim ideo filius Ver-
bum, quia sicut in cogitando, rei de qua cogitamus,
simulachrum concipimus, ita substantialis imago pa-
tris filius est, sic epistola ad Hebræos scriptum est,
Character substatiæ eius. Porro sp̄ spiritui sancto tribui-
tur agitatio & ueritas donorum. Ideo uoluntati Spi-
ritus sanctus comparatur. Sic imaginem Trinitatis in
humana mente esse scripserunt. Hanc ego cogitatio-
nem non repræbendo. Est enim cernere uestigia di-
uinitatis impressa multis creaturis. Paulus autem de
alia quadam imagine loquitur, quæ noui hominis tan-
tum est. Formæ Dei sunt sapientia, iusticia, ueritas,
sanctitas, has cum imprimunt Deus nobis, sumus ima-
go Dei, & participes diuinæ naturæ. Sic loquitur ad
Ephe 4. Induite nouum hominem qui secundum De-
um creatus est, id est, ad similitudinem Dei, in iusticia
& sanctitate, & ueritate, id est, est iustus, & Deo
placens, est sanctus, id est purus, seu purificatio cor-
de, mortificata carne, est uerax, id est de Deo recte &
uere sentit. Caro enim nullo modo uere sentit, semper
enim somniat, neq; crudelitatem Dei tantam esse, ut
tam seuerè puniat peccantes, neq; rursus misericor-
diam tantam esse, ut ignoscat, ut uiuet &c.

Sic loquitur

IN EPIST. AD COLOS.

Sic loquitur etiam 2. Corin. 3. Nos reuelata facie
 specularantes gloriam Domini, in eandem imaginem
 transformamur à claritate in claritatē, tanquàm à Do-
 mini spiritu, id est, quando uere cor concipit consola-
 tionem, per fidem erigitur, ut intueatur magnitudinē
 misericordiæ & bonitatis diuinæ, hoc est enim uide-
 re gloriam Dei. Ibi cor concipit Dei cognitionē, tan-
 quàm lucem quandam, seu radios in nos sparsos, ea est
 imago Dei. Quod autem Paulus ait, reuelata facie, al-
 ludit ad Mosi historiam. Caro enim uelatam faciem ui-
 dens, uidet tantum iusticiam mundi, & carnalem, cū
 audit Verbum Dei, uidet tantum poenas corporales,
 & beneficia Dei corporalia, sicut populus Mosi uide-
 bat præsens exitum Pharaonis. Item præsens benefi-
 cium, cedentes aquas & uiam facientes. Sed nouus ho-
 mo, reuelata facie, uidet iram Dei aduersus peccatum,
 uidet magnitudinem misericordiæ, & credit sibi igno-
 sci, & cōcipit pacem & gaudium coram Deo. Sic est
 & hoc loco accipiendus paulus, cum nouum homi-
 nem definit, crescentem in cognitione Dei, quæ agni-
 tio Dei efficiat eā imaginē Dei. Est enim illa cognitio
 tanquàm lumen quoddam, in quo uelut in speculo re-
 splendet, & cernitur Deus. Huc etiam pertinet, quod
 in Genesi scriptum est. Faciamus hominem ad imagi-
 nem & similitudinem nostram, id est sapientem,

Nouus ho-
 mo quis sit.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Et accepturū uerbum. Talem enim fecit Adam, quia
 ei uerbum suum tradidit. Sed similitudinem Dei non
 retinuit Adam. Est itaq; reddita nobis per Christum,
 qui uera et naturalis imago Dei fuit, et propter quē
 Deus alios homines uocant imaginem suam. Nam et
 propter Christum alij iustitiam, ueritatem, et sancti-
 tatem consequuntur. Hortatur itaq; Paulus hoc loco,
 ut crescamus in cognitione Dei, hoc est, ut poenitentia
 in nobis et timor crescant. Item, ut fides crescat. Itē,
 ut in tribulatione inuocemus Deum, et discamus eū
 propè adesse, et iuuare inuocantes se. Sicut et ad Ro-
 man. docet, Tribulatio patientiam, patientia probati-
 onem, probatio spem efficit, spes autem nō confundit.
 Ea spes, quia Deum nouit, et expectat, et uel in gra-
 uissimis afflictionibus intuetur, est ipsa Dei imago, et
 hanc spem adferentes adimus relecta facie Deum, et
 non confundimur, sicut Moses relecta facie ad Dominū
 ingrediebatur.

VBI NON EST GRAECVS NEQVE etc.

Hic locus partem quandam libertatis Christianae
 continet. Est autem libertas Christiana. Primum, con-
 scientiam habere liberatam à peccato. Secundo ha-
 bere spiritum sanctum, et esse liberatum à potestate
 Diaboli, qui corda impiorum incitat et rapit ad ua-
 ria peccata. Sic de libertate Christus loquitur Iohan. 8
 Si uos

Libertas
 Christiana ue-
 ra quae sit.

IN EPIST. AD COLOS.

Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Sic enim Christus liberos nos facit. Primum delet peccatum, si credant sibi fideles ignosci & condonari peccata gratis propter Christum. Secundo mittit spiritum sanctum qui regat & gubernet corda, & defendat aduersus Satanam, quia rationis humane uires nullo modo satis roboris habent aduersus Diabolum. Itaque uidemus permisisse Deum, ut plerique sapientissimi homines in maxima uitia inciderint, ut ostenderetur infirmitas humanarum uirium. Et hic gradus libertatis Christiane diligenter inculcandus erat hominibus, hic adfert aliquid opis infirmis mentibus, posse uesci carnibus, & similia non multum ad edificandum profunt. Sic etiam intelligendum est, legem Mosi antiquatam esse, quod lex non accuset aut damnet eos, qui credunt sibi ignosci peccata, quia propter Christum peccata condonantur, & quod habeant fideles spiritum sanctum, per quem faciant legem, sicut Paulus ait, Stabilimus legem. Reliqui gradus libertatis pertinent ad externum usum rerum, & ad hanc uitam corporalem. Nam superior gradus pertinet ad uitam spiritualem, quia docet quod fide liberemur a peccato sine nostris meritis, quod fide iustificemur coram Deo, quod per Christum defendamur aduersus potestatem Diaboli, quod per spiritum sanctum noua quedam sapientia, noua iustitia, aetherna

SCHOLIA PHIL. MEL.

uita in nobis efficiantur. Secundus autem gradus libertatis, est quod Christiani non sunt alligati ad ceremonias, & præcepta iudicialia, ut uocant, legis Mosaicæ. Sed omnium gentium legitimis pollicijs uti possunt, Christianus potest res tenere, emere, uendere, potest exercere iudicia, iuxta eius gētis leges, apud quam uiuit, siue sint Romanæ, siue Saxonice, siue Gallicæ leges. Et, ut supra dixi, Christiani præsentibus legibus atque ordinationibus semper debent parere, sicut & Christus paruit Romanis, dedit δὲ παροχὴν In lege promissa erat libertas ciuili filijs Israël, sicut alia bona corporalia, opulentia, pax, & similia. Sed sicut fame, bellis, & alijs calamitatibus, sæpe populum propter peccata puniuit Deus, ita puniuit seruitute, & subiecit eos gentibus. Sicut igitur fortunas suas, ita libertatē aliquando amiserunt. Nec recte fecerūt Iudæi si quando freti promissione libertatis rebellarūt gētibus, quibus seruibāt. Nō enim præceperat eis Deus, ut liberi essent, sicut neq; præceperat, ut incolumi ualitudine essent, promissa enim libertas erat, sicut bona ualetudo. Nos autē præceptis obtēperare debemus, nō occupare promissa contra præceptū. Quare cū præceptum sit obedire potestatibus, errauerūt Iudæi, quoties recuperandæ libertatis caussa, arma ceperunt aduersus reges quibus seruibant. Itaq; & Christus parabat

rebat

IN EPIST. AD COLOS.

rebat Romanis, & parere Iudæos docuerūt Iohannes,
 & Christus, tametsi uulgus somniaret uenisse Christū
 ut restitueret populo libertatem, ac regnum. Nos ue-
 ro Christiani prorsus nullam habemus permissionem
 ciuilibus libertatis, sed alij seruitute, alij libertate utun-
 tur. Sunt enim aliæ Respublicæ aliter constitutæ. Pro-
 inde qualiscunq; est Reipublicæ forma, debemus eam
 tolerare, & præsentibus legibus, atque ordinationi-
 bus obedire, præsertim cum nihil mali non adferat
 mutatio Reipublicæ, atq; Imperij, ut exempla quo-
 tidiana docent. Et Xenophon præclare inquit. *πᾶσι
 σα μεταβολαὶ πολιτείων θωρακτιφόροι.* Dixi supra de le-
 gibus, ex natura libertatis Christianæ intelligi posse,
 cur nobis liceat uti Ethnicorū legibus. Quare hoc in
 loco ratio huius rei, ac testimonia colligenda sunt.

Si quis quærat, cur abrogata lege, cū reliquæ par-
 tes omittantur, Decalogus tamen doceatur. Veteres
 numerant tres partes legis, id & nos sequemur, opta-
 rim enim partitionis illius memoriā retineri in scholis
 quia nonnihil adfert in docendo lucis. Sunt itaq; tripli-
 cia præcepta, Alia uocantur ceremonialia, alia iudicia-
 lia, alia moralia. Constat autem ceremonialia & iudicia-
 lialia non exigi à Christianis. Sic enim erant tradita
 Iudæis, ut ad tempus durarent, sicut est in Epistola ad
 Hebræos scriptum capit. 9. ubi dicit, Vsq; ad tempus

SCHOLIA PHIL. MEL.

correctionis imposita esse. Quia enim uoluit Deus ex-
 istere aliquem populum cui traderet promissionem
 de Christo, & in quo populo nasceretur Christus, qui
 populus de promissionibus testimoniū præberet, ideo
 separauit Deus illum populū à reliquis gentibus cer-
 tis ceremonijs, institutis, ac regno peculiari. Nec sunt
 opera illa præscripta, ut iusticiam mererentur, uel ut
 iustificarent, sed ut discernent Israëlitas à reliquis
 gentibus. Postq̄ autem adparuit Christus, nihil est o-
 pus iam eum populum à gentibus discerni. Sic uatici-
 natus est Iacob in Genesi, Nō auferetur sceptrum à Iu-
 da, donec uenerit Silo, sic enim Christum uocat, quasi
 dicat, cum Christus uenerit, regnū corporale, institu-
 ta ciuilia, & ceremoniæ cessabunt. Quare non est ne-
 cessarium Christianis, seruare ceremonias aut institu-
 ta iudiciorū Mosi. Idem docet caput. 15. in Actis, quod
 uetat gentibus imponere legem Mosi. Sicut itaq; cir-
 cuncisio, & consuetudo uictimarum mactandarum
 non est à nobis exigenda, ita neq; præcipi debet, ut se-
 quamur leges iudiciales Mosi. Nam illæ leges uni tan-
 tum populo illi datæ sunt, & quidem ut eis ad tempus
 uteretur. Et quamquàm bonæ sint, tamen magis ac-
 commodatæ fuerint illi Reipublicæ, quam, uideantur
 esse nostræ. Quare non recte iudicant nonnulli qui
 præcipiunt magistratibus, ut de furto puniendo, de
 decimis,

IN EPIST. AD COLOS.

decimis, & similibus rebus legem Mosi sequantur. Apud nos præstat uti nostris ac receptis legibus. Neque enim sine magno consilio ueterum conditæ sunt, & nulla est caussa, cur mutantur, adhæc mutari sine magno motu publico non possunt. Quare sæpe monent scriptores sapientissimi, qui in Respubli. uersati sunt, ut ueteres leges summo studio retineamus. Demosthenes in hanc sententiam recenset legem quandam Locrensem, qua constitutum fuit, ut si quis nouam in ciuitate legem laturus esset, collo in laqueum inserto, recitaret eam populo, ut statim si displicuisset lex, auctor laqueo constricto strangularetur. Hæc lex fecit, ut annis ducentis nulla noua lex rogata sit, cum nemo periclitari iudicium populi, quod est incertissimum, uellet. Infinita præcepta ad hanc rem pertinentia in grauissimis scriptoribus inueniuntur, sed ego malo hoc in loco scripturæ sententijs uti, Salomon præcepit idē in Ecclesiaste, ubi præfatus est de stulto principe, uocat enim stultū, non cuius stultitiā iudicare uulgus potest, sed cum qui sibi ualde sapere uidetur, & suis consilijs mirifice fauet, ueteres leges abrogat, substituit nouas, & nouas subinde mutat. Talis est ferè in iuuenibus πολυπραγμοσύνη cum adhibetur ad negotia publica. Talem principem uituperat Salomon, & de legum mutatione inquit, Qui dissipat se-

L

SCHOLIA PHIL. MEL.

pem mordebit cum coluber, id est, dissipato statu
 Reipublicæ legum omnium auctoritas labefit.
 Qua ex re magni motus existunt, & plurimum mali
 redit ad ipsum principem, qui leges mutavit: & qui
 trāsferat lapides, adfligetur in eis. Nam lapides signi-
 ficant pondera & mensuras rerum, quibus Salomon
 aliquoties publicas ordinationes designavit. Docet
 itaq; multa incommoda sequi mutationem legum pub-
 licarum. Et ad hanc sententiam accomodatur præ-
 ceptum, Ne transferantur limites positi à maioribus.
 Sed hac de re supra etiam diximus, Verum hoc tempo-
 re fortasse prodest diligenter de retinendis ueteribus
 legibus disputare, cum tam multi sunt, qui earum au-
 thoritatem stultis ac seditiosis sermonibus labefaciunt.
 Nunc restat ut decalogo dicamus. Fortasse aut ali-
 quis subtiliter disputet nec decalogū ad nos pertine-
 re, quatenus pars sit politicarū ordinationū quæ sunt
 traditæ populo Mosi. Ego nō delector illa multi subti-
 litate, sed trita uia ingrediar. Et est, ut græci dicunt,
 θαρραλιωτάτη ἢ συνηθεία τῆ ὁδοῦ. Cum Euangelium
 doceat iustitiam cordis, non requirit has legis partes
 quæ continent externas obseruationes, uidelicet ce-
 remonias & iudicialia. Sunt enim unius populi tantū
 instituta, ad usum rerum corporaliū, non ad uitam
 æternam utilia. At Decalogus non unius po-
 puli

IN EPIST. AD COLOS.

puli instituta continet, sed tum de puritate cordis præcipit, Non concupisces, tum opera docet, quæ natura pariter omnes gentes docuit. Quare donec in nobis cõmunis sensus manet, non potest intelligi Decalogus esse abrogatus. Manet enim lex nature, ut sensus aurium atq; oculorum, & ut Euangelium non tollit oculorum sensum, aut alia hominis membra, ita naturale iudicium de moribus non tollit, Finge deletas esse leges ex omnibus libris, Honora parentes, Nõ occidas &c. tamen ex mente hominis deleri non possunt, semper igitur iubent, semper accusant & condemnant reos. Eatenus aut Euangeliũ has quoq; leges tollit, ne accusent nos, si credamus q; peccata nobis propter Christum remissa sint. Cum fides uicit malam conscientiam, tum demum illa ueluti scripta contra nos accusatio deleta est. Manet tamen notitia, quæ recte facere docet, Et illi qui sanctificati sunt Spiritu sancto ultrò obtemperant illi notitiæ, tanquam uoluntati Dei. Ad hæc Christus dedit mandatum dilectionis. Paulus autem omnia præcepta ait contineri in mandato dilectionis, quare Decalogus repetitus in Euangelio, retinetur. Quia enim fides non est ociosa. Decalogi opera nobis ostenduntur, non ut per ea iustificemur, sed, cū hæc uita corporalis non possit sine operibus transigi, uult Deus, ut istis operibus necessarijs ad uitã corporalem

SCHOLIA PHIL. MEL.

exerceamus fidem. Proinde Decalogus docetur, non quia à Mose traditus est, sed quia natura eum nos docet, & ita indidit nobis, ut deleri non possit. Præterea etiam in Euangelio repetitur, ut opera aliqua in hac uita exercendæ fidei proponantur. Et tamen eate- nus est abrogatus, ne condemnet nos, si tamen credimus nobis propter Christum ignosci. Adhæc Paulus docet duo legis officia esse. Alterum, coercere metu pœnarum, eos qui non habent Spiritum sanctum, sic enim inquit, Lex est posita iniustis: & Lex est pædagogus. Quanquam autem Euangelium doceat iustitiam cordis, non illam ciuilem disciplinam, qua iniusti cohererentur, tamen hæc quoq; pædagogia docenda est, ut sciant & iniusti iudicium Dei, quod delinquentes & æterno supplitio, & pœnis corporalibus in hac uita, uelit punire. Porro Decalogus eam pædagogiam continet, quam Deus ab omnibus gentibus exigit, & quæ scripta est in mentibus omnium hominum. Aliæ partes Mosaicæ legis, non sunt in animis hominum scriptæ. Alterum legis officium est, ostendere & arguere peccata, & perterrefacere conscientiam. Sic enim ait Paulus, Per legem cognitio peccati. Quia autem Euangelium continet prædicationem pœnitentiæ, necesse est arguere & ostendere peccata. Ad eam rem Paulus prædicatione legis utitur,

Rom. 2.

IN EPIST. AD COLOS.

Rom. 1. cum ait, Reuelari iram Dei de cœlo super omnes homines, & citat legem naturæ, qua accusat omnes homines, quòd Deum norint, quòd sciât omnes obnoxios illis uitijs, quæ enumerat, dignos esse morte. Quid aut aliud illa naturæ lex continet, quàm quod docet Decalogus, Vtinur itaq; Decalogo seu naturæ lege ad prædicationem pœnitentiæ, hoc est ad arguendum, & ostendendum peccatum. Si quis contendet non legis, sed euangelij partem esse, arguere peccata, cum hoc non magnopere digladiabor. Ego Euangelium uoco proprie remissionem peccatorũ, legem uoco quæ peccata arguit, & condemnat, & terret conscientias, sicut Paulus uocat, cum inquit, Per legem cognitio peccati. Et ita legem accipi uolo, ut intelligatur non tantum externa delicta arguere, sed etiam concupiscentiam. Sicut enarrat Christus legem Matt. 5. Et Paulus ait, legem esse spiritualẽ, hoc est, nõ esse ciuilem disciplinã tantum, quæ iustitiam simulatã habet, sed præcipere uerã iustitiã cordis. Quidã docet principium esse pœnitentiæ, cognitionẽ beneficiorum Christi, quod ut largiar, tamen opus est arguere peccata quod per legem fit, quia neq; intelligi neq; adprehendi remissio peccatorũ potest, nisi prius arguantur peccata. Et hæ ferè cause sunt, cur decalogus retineatur, cũ aliæ legis Mosaice partes prorsus non doceantur.

SCHOLIA PHIL. MEL.

Tertius gradus Christianæ libertatis, pertinet ad traditiones humanas. Sicut enim ceremoniæ Mosaicæ non profunt ad iustificationem, ita multo minus profunt ad iustificationem traditiones humanæ. Quare ut ceremonias Mosaicæ licet omittere, ita licet omittere traditiones humanas, si exigantur ad promerendâ gratiam, aut iustitiam. Ut fallitur, qui sibi priuatim opus aliquod deligit, ad quærendam gratiam, ut si quis sibi certa ieiunia præscribat, si se in herenum conserat, ut per ea opera remissionem peccatorum mereatur. Damnat enim Paulus *τοὺς ἑσθηκείας*, ita falluntur qui aut condunt, aut exigunt, aut seruant traditiones, ut per eas remissionem peccatorum mercantur. Et tamē natura sit, aut pauca conscientia per certa opera gratiam quærere cupiat. Ibi cum oporteat retinere fidei iustitiā & pendere de solo Christo, experimur quàm id difficile factu sit. Proinde, qui obseruant traditiones, sentire debent, eas nō esse ad iustitiam necessarias. Canones docent antiquari posse consuetudine huiusmodi ordinationes, sicut iam olim exoleuerunt Canones pœnitentiæ, & pleraq; ieiunia. Quod cum ita sit, adparet partes non uoluisse laqueum iniicere conscientijs, sed seruari traditiones, sicut publicum morem uestitus, aut similiarum rerum ciuiliū, non quia peccent homines, si secus faciant. Et scriptura docet usum
taliū

IN EPIST. AD COLOS.

talium rerum liberum esse. Quare nec exigere licet,
 tanquam necessarium, ne ea opinione præstare oportet.
 Ideo Paulus ait ad Galatas, Nolite iterum iugo seruitutis subijci. Item, Si mortui estis cum Christo, quid tanquam uiuentes traditionibus uexamini? Cæterum in uiolandis traditionibus habenda est ratio scandali, ne offendamus eos, qui doctrinam libertatis non norunt, neue putent imperiti licentiam peccandi nostro exemplo sibi datam esse. Nam multi cum uident uiolari aliquam traditionem, induunt contemptum omnium legum, sicut ait Christus, Ut res ueteres rumpi, musto infuso. Apostoli uiolarunt traditiones apud Phariseos, ut testimonium ostenderent doctrine aduersus Phariseos, qui exigebant tanquam ad gratiam promerendam utiles, aut necessarias. At iidem Apostoli seruauerunt etiam legem, quam inter Phariseos uiuerent, ut parcerent informi multitudini. Ac maxime optarim hoc tempore publicas ceremonias in templis retineri, quatenus sine peccato retineri possunt. Nulla enim res magis offendit imperitiã multitudinẽ, quam illa templis nouitas Paulus iubet omnia ordine & decore geri, ubi couenit Ecclesia. Verum illa mutatio nihil geri ordine patitur. Alij enim odio nouitatis deserunt tẽpla, alij tumultuantur iepto studio nouitatis. Quare mihi præstare uidetur, ut ritus ueteres quæ sine peccato

SCHOLIA PHIL. MEL

retineri possunt, cōseruentur ut sit trāquillitas maior cum sacra fiunt. Et quid attinet illa mutare que nihil habent uitij? præsertim cum Paulus etiam moneat, ne sibi uocati in circuncisione præputia accersant, ne uocati in præputio, circuncidantur.

VISCERA MISERATIONVM &c.

Hebraica consuetudine uiscera significant, quod nos dicimus ex animo. Iubet igitur ex animo & misericordes esse, & uere tangi sensu alienæ calamitatis, sicut Christus testatur lachrymis suis, se misereri Hierosolymorū. Ideo Esaias præcipit, Carnem tuā ne despexeris, cap. 53. Nam cum uocat proximum, carnem nostrā, significat nos debere ipsius malis ita adfici, ut nostris, & induere prorsus illius affectus. Hic uides id quod supra monui Apostolos aliter tradere præcepta de moribus quam philosophi tradunt. Philosophi requirunt tantū externa officia, sed Apostoli non modo ciuilia officia, sed etiā puritatem cordis requirunt, ut agnoscamus peccatū penitus hærens in carne, & postulemus, ut per spiritum sanctum corda purificentur.

LENITATEM.

Species est quædam *Χρηστότης* eius uirtutis, quam uocant *επιείκεια*. Est autem commoditas quædam in omni conuersatione, quæ facit, ne simus asperi,
intracta

IN EPIST. AD COLOS.

intractabiles, aut morosi, sed ut facile aliorum erratis ignoscere possimus, ac tolerare homines iracundos, illorum dicta in speciem aspera, lenire commoda interpretatione, concedere aliquando aliorum adfectibus, non ubique nostrum ius uiolenter tueri, de iure cedere tranquillitatis publicae causa. Haec uirtus cum sit necessaria in omni uitae genere, tum maxime in his esse debet, qui praesunt. Vt enim domestica concordia retineri non potest, nisi alter alterius uicia dissimulet, ac ferat, ita nec publica tranquillitas incolumis esse potest, nisi hi qui praesunt, norint inter se cedere. Quantum motus extitit in Republica Romana, dum neque Pompeio Caesar nec Caesari Pompeius credere uult. Porro in primis hac uirtute praeditos esse oportuit eos qui docent in Ecclesijs, ut alter alterius dicta et scripta commode interpretarentur, dissimularet etiam aspersus aliquo maledicto. Nunc in tam calumniosa interpretatione omnium dictorum, scriptorum, et factorum, et exarserunt inter se accerbissimis odijs doctores Christianae caritatis, et aliae lites ex alijs, subinde nascuntur, sed haec lenitas non cadit in homines superbos, qui soli regnare, soli sapere uolunt, ideo Paulus addidit.

HUMILITATEM

Quae sit uera humilitas, intelligi ex collatione facilius poterit. Superbi sunt, qui cum dotes quasdam ha-

SCHOLIA PHIL. MEL.

beant, cōfidunt his se ea quæ uelint cōsecuturos esse,
nec morantur uoluntatem Dei, & homines alios præ
se cōtemnunt, ut alij pecunia, alij caliditate ingenij,
ac doctrina, alij uiribus & potentia sperant se quid-
quid uelint, effecturos esse. Itaq; mirantur se ipsi, tã-
quàm Deos quosdam. Nec respiciūt uoluntatem Dei
nec iudicant Deum impijs consilijs obsistere. Proinde
contra mandata Dei, quicquid libet suscipiunt fiducia
uirium suarum. Talis fuit Pharaonis superbia, qui ma-
gnitudinem uirium suarum considerans, putauit se ui-
ctoriam in manu habere, cum exercitum duceret ad
opprimendos filios Israel. Contra uero humiles agno-
scunt, & ipsi quasdam se dotes habere. Neq; enim
nesciebat Dauid regnū se habere, non ignorabat Pau-
lus quantis donis cumulatus esset, sed quia sentiūt esse
beneficia Dei, ideo sciūt hæc dona esse irrita, ac inuti-
lia, nisi fortunet ea Deus. Nec intuentur suas uires, sed
agnoscunt se, nisi iuentur à Deo, nihil posse. Norunt
etiã meritos nos esse irā Dei, uerum quia misericordi-
am dei cognouerunt, erigūt se & confidunt auxilio di-
uino, in his rebus gerendis, quas suscipiūt. Nō igitur
ruūt temere, quo gloriæ aut uindictæ cupiditas rapit,
Sed ea tātum quæ coguntur agere diuino mandato su-
scipiūt, sed, ut sunt in suscipiendis negotijs timidi, ita
sunt ingerendis fortissimi: propterea, quia confidunt
auxilio

IN EPIST. AD COLOS.

auxilio diuino, ac sciunt se à Deo gubernari ac regi.
 Quidquid habet uirium, conferunt, non ad priuatam
 ostentationē, aut ad opprimendos alios, sed publicam
 utilitatem, & ad iuuandos alios. Nec contemnūt prae
 se alios, sed sciūt deū plus boni efficere posse per alio
 rum exiguas dotes, si uelit. Amant in alijs etiā Dei da
 na, eaq; sine inuidia mirantur, audiunt aliorum consi
 lia, cedunt bene monentibus, & rectiora docentibus,
 agnoscunt errata sua moniti. Norunt Deū resistere su
 perbis, ac humilibus dare gratiā, quare non confidunt
 suo iudicio aut suis consilijs, sed uoluntatē dei conside
 rant, qua tantū Dei fauore, & auxilio nituntur. Exem
 pla huius uirtutis habemus aliquot in scripturis, sed
 nullum expressius, quàm Christum ipsum, qui cum sit
 filius Dei, tamē abiicit se infra omnes homines. Et hāc
 imaginem ipse iussit nos contemplari, et imitari, Disci
 te à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde. Re
 putet autem quisq; apud se, quàm dissimilis huic ima
 gini sit, quanta sit in humanis animis superbia, quàm
 uehemens gloriae cupiditas, quantas tragœdias pro
 pter ambitionem nonnunquam excitent homines. Cū
 autem huius morbi magnitudinem non possimus intel
 ligere, prauum enim & inscrutabile est cor humanū,
 postulandum est, ut Spiritus sanctus ostendat uos no
 bis, & efficiat in nobis ueram humilitatem.

SCHOLIA PHIL. MEL.

MANSVETVDINEM.

Hæc opponitur cupiditati uindictæ, sicut in Euan-
gelio adparet, Beati mites, quoniam possidebunt ter-
ram. Mundus enim iudicat suas se opes ita retinere, si
ui defendat, si ui depellat iniuriam ac ulciscatur. Chri-
stus contra, inquit, eos possidere terram, quorum ani-
mus cupiditate uindictæ uacat. Mihi uindictam, inquit
Dominus, & ego retribuam. Quod si Dei proprium
opus est uindicare, intelligi potest, quàm graue pecca-
tum sit occupare Dei officium. Hic autem rursus mo-
nendus est lector priuatam uindictam prohiberi. Pu-
blica enim uindicta, quæ per magistratus exercetur,
fit diuino mandato, quare & ipsa Dei opus est. Pau-
lus enim uocat magistratum ministrum & uindicem
Dei, semper igitur intelligamus publicam uindictam,
quam Magistratus exercent non prohiberi, sed prohi-
beri priuatam uindictam, ac iracundiam. Est autem etiã
priuata uindicta uocanda, cum magistratus cupidita-
te uindictæ accensi, indulgent adfectibus suis, & con-
tra ius exercent uindictam.

LONGANIMITATEM.

Longanimitas patientiam Hebraica consuetudine
significat. Est autem hic discernenda Philosophica
patientia à Christiana. Nam & Philosophi de hac
uirtute multa tradiderunt. Sed quomodo sentire de
afflictionibus

IN EPIST, AD COLOS.

ad afflictionibus debeamus, & quæ sit uoluntas Dei erga eos qui adfliguntur, non potest ratio, aut Philosophia tradere. Quare Verbum Dei de hac re consulendum est. Philosophica patientia causam habet aliquando spem quæ in tot uicibus rerum humanarum expectat causam aliquem, qui calamitatem depellat. Nihil hic Dei cōsilio aut uoluntati tribuit ratio, Ideo ait Poëta.

Multa dies uariisq; tabor mutabilis æui

Retulit in melius.

Nonnunq̄ patientia Philosophica spe abiecta, causam habet tantum uirtutis dignitatem, cum enim res externæ sint, post uirtutem collocandæ, iudicat Philosophia patientiam retinendam esse, ita ut nihil contra iustitiam, aut alias uirtutes faciamus. Non igitur conuenit ut irati dolorem nostrum ulciscamur, & cōtra nos, aut nos ipsos, aut alios ledamus. Hæ ferè causæ sunt patientiæ philosophicæ.

At Christiana patientia longe alias causas habet. Primum enim sentiendum est in afflictionibus, q̄ certo Dei consilio adfligamur, sicut scriptum est, Dum iudicamur à Domino corripimur. Docet enim Paulus nō casu accidere calamitatem, sed nos à Deo castigari. Et Propheta Hieremias Threnorum 3. obiurgat impios, qui negant dei cōsilio afflictiones accidere. Sic enim inquit, Quis est iste qui dixit, hæc fieri Domino non

SCHOLIA PHIL. MEL.

subente. Ex ore altissimi nec bona, nec mala egredien-
tur? Obiurgat eosdem Sophonias capi. 1. Visitabo su-
per uiros defixos in secibus suis, qui dicunt in cordibus
suis, Non faciet bene Dominus, & non faciet male. Et
cum hæc prima rationis dubitatio sit, an istiusmodi ca-
sus regantur à Deo, uel utrum temere eueniant, diligẽ-
ter munienda sunt corda, ut statuere possint uolunta-
te Dei nos adfligi. Faciunt autem ad hoc propositum
sententiæ, quæ de creatione citantur, ut Mat. 10. Non
ne duo passeressesse ueneunt, & unus ex illis non ca-
det super terram sine patre uestro.

Secundo, non satis est sentire, quod Dei cõsilio & uo-
luntate affligamur, sed oportet nos causam etiam uo-
luntatis diuinæ considerare. Nam ratio iudicat, ideo
nos adfligi, ut perdamur, & exempla nos commouet
eorum qui adfliti, à Deo abiecti sunt, ut Pharaonis,
Saul, & similibus. Sed oportet nos à ratione & tali-
bus exemplis discedere, & uerbo adherere. Sic aut
docet Verbum Dei, quod adfligamur, ut saluemur. Pro-
inde adflitiones non sunt iræ signa, sed gratiæ, uocat
enim Deus ad poenitentiam, & adflitione ueluti lo-
quitur ac testatur se uelle ignoscere. Non aliter atque ba-
ptismus, aut manducatio Corporis Domini, testantur
nobis ignosci, ita adflitio propemodum sacramen-
tum quoddam dici potest, quia significat Deum nobis
uelle

IN EPIST. AD COLOS.

uelle ignoscere. Cur autem id significat? quia sicut alia
 Sacramenta complectuntur uerbum & elementū, ita
 ad afflictionem additum uerbum quo gratia promittitur.
 Sic enim ait Paulus, Dum iudicamur, à Domino corripi-
 mur, ne cum hoc mundo damnemur. Vocat ad pœ-
 nitentiam ad afflictione pereamus. Et, filium quem dili-
 git corripit, Item, bonum mihi quia humiliasti me, ut
 discerem iustificationes tuas. Et Esaiæ. 26. Domine in
 tribulatione uisitauerunt te, Disciplina tua eis ut cla-
 ment ad te in angustia. Item. 28. Vexatio dat intelle-
 ctum. Item, Ut faciat opus suum, facit opus alienum,
 id est, ut saluet, castigat, & flagellat. Et in Psalmo, Sa-
 crificium Deo spiritus contribulatus. Sacrificium autē
 est, quod placet Deo. Quare ad afflictio cum placeat
 Deo, non significat eos qui adfliguntur, à Deo abie-
 ctos esse. Huc pertinent & hæ sententiæ, Nolo mor-
 tem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Conclu-
 sit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur
 id est, ideo iudicat nos, non ut perdat, sed ut seruet, &
 quidem omnes, modo credant sibi ignosci. Cum omni-
 bus promitti gratiam audis, scias in eo numero te quo-
 q; esse, nec de prædestinatione disputes, utrum sis in
 electorum numero nec ne. Certe in horum numero es,
 quibus est promissa gratia. Oportet itaq; in adflicti-
 one fidem esse. Primum, quòd nō acciderit casu adfli-

SC H O L I A P H I L . M E L .

Etio, sed quòd à Deo gubernetur, deinde, q̄ Deus non adfligi nos ideo uelit, ut perdat, sed q̄ uocet nos ad pœnitentiam, q̄ exerceat nos, ut saluet nos.

Tertio accedere oportet fidem, seu quis malit sp̄e uocare, qua spernemus Deum gubernaturum esse exitum adflitionis. Ideo percipit Deus, ut se inuocemus in tribulatione, & quidem uocat eã inuocationem sacrificium, hoc est uerum & gratissimum cultum. Sic enim inquit Psalm. 49, Inuoca me in die tribulationis. Et addit promissionem, & eripiam te, & honorificabis me. Et præfatus est in eo Psalmo, non placere sibi uictimas, pecudum, & similia opera. Sed hoc sacrificio se delectari, si inuocemus eum in tribulatione, & credamus eum nobis opem laturum esse, & adiuti agamus gratias, & prædicemus beneficium: sic & Psalmo quarto, Spem, quia expectamus auxilium in adflitione sacrificium uocat, Sacrificate sacrificiũ iusticiæ & sperate in Domino, quasi dicat eam spem sacrificium esse, quo quidem Deo iustitiam tribuamus, q̄ cum promiserit, sit nos erepturus & liberaturus, quoniã iustus & uerax est. Vides igitur quomodo patientia Christiana semper spem habeat coniunctã, sed ea spes non intuetur creaturas, sed tantum uerbum ac promissionẽ Dei, & retinet, ut inquit Paulus, spem, cõtra spem, id est, cum creaturæ omnes nihil ostēdunt auxiliij tamen

IN EPIST. AD COLOS.

lij tamen sperat Deum opitulaturum esse. Et ut maxime non dederit ea quæ nos uolumus, aut eo modo ut uolebamus, tamen gubernabit exitum sua sapientia, ac bonitate, ne pareamus, neue sint irritæ preces nostræ. Idem Paulus docet in illa gradatiõe, Tribulatio patientiam efficit, ubi eò peruenit, ut doceat debere spem retineri in tribulatione. Et addit promissionem, Spes non confundit. Credere igitur debemus, nos exaudiri à Deo, Deum opem laturum esse, nos defendi à Deo. Hæc Christianos de afflictionibus ac patientia scire oportet. Multi tantũ tradunt præceptum de patientia, non ostendunt causas quæ efficiunt patientiam, & quo se sustentat. Non docent quomodo de uoluntate Dei sentire debeamus, nihil de fide, ac spe dicunt, hi tantum philosophantur, non docent Euangelium. Ego puto grauissimas consolationes in his locis contineri, quos iam ostendi, si diligenter expendantur, quare duxit eos hic recensendos esse.

SVPER HAEC OMNIA CHARITATEM,
QVAE EST VINCVLVM PERFEC. &c.

Supra nominauit officia charitatis, seu effectus. Nunc charitatis mentionem facit, ut doceat istas uirtutes, scilicet tollerare mores aliorum, ignoscere erratis, non ulcisci iniuriam, non debere simulata officia

M

SCHOLIA PHIL. MEL.

esse, sed nasci ex uera charitate. Non potest autem facile hypocrisis à ueritate discerni, sed existimari potest charitatem esse in his, qui perpetuo præstant illa officia. Nam simulatio nunquam diuturna est. Veteres Theologi disputauerunt charitatem eandem esse qua & Deum, & homines amamus. Hæc subtilitas nonnihil utilitatis habet, si quis eam diligenter intueatur. Docet enim discrimen carnalis, amoris, & charitatis Christianæ. Carnalis amor excitatur in nobis, cum bona conspeximus in alijs, quæ nobis iudicamus aut uoluptati, aut usui esse. Vera charitas uoluntatē Dei intuetur, & cum uidet quantis bonis nos nihil tale meritos cumulet Deus, uicissim complectitur homines gratis, & iuuare omnes cupit, ut Deo gratiam aliquam reddat proximis beneficijs. Videntur autem mihi ueræ charitatis euidentissima signa esse, si quis non inuideat his qui dona potiora habent, si uere aliene infirmitatis misericordia moueatur. Proinde & hic Paulus uocauit charitatem, uinculum perfectiōis quia coniungat, & connectat Ecclesiam, & concordiam retineat, qua labefactata dissipatur Ecclesia. Quid autem mali non adfert discordia? Alij praua dogmata amplectuntur, alij quia non uident quid sequi in tanta doctorum dissensione debeant, prorsus abijciunt religionem, & sunt prophani ac blasphemus. Accedunt

IN EPIST. AD COLOS.

cedunt huc & corporalia mala, cædes, ac bella, dum
sua dogmata ui defendunt impij. Tunc enim planè fit,
quod est in ueteri ueru, Pellitur à medio sapientia, uè
geritur res. Est itaq; intelligenda perfectio hoc in lo=
co, non de singulorum perfectione, seu, ut ita dicam,
de personæ perfectione. Vt enim non iustificat perso=
nam charitas, ita neq; perfectos reddit, si proprie lo=
qui uelimus, requiritur enim fides perfecta ad perso=
næ perfectionem. Sed Paulus uoluit accipi hunc locū
de perfectione uniuersæ Ecclesiæ, in qua quanq̄ dissi=
milia membra sint, tamen ipsa perfecta dicitur, si mē=
bra consentiant, si cedant infirmis infirmi, si audiāt in=
firmi infirmos, si inhonesta mēbra ornētur ab honesti=
oribus. Hac de re ubiq; præcipit scriptura, quare qui
publicā concordia pturbant, quiq; uetant perturbatā
sarciri, sciant se Deo grauissimas pœnas daturos esse.

PAX DEI REGNET IN CORDIBVS &c.

Videmus multos, quamuis leuia mala impatientis=
sime ferentes, deq; sua sorte, de inopia, de aduersa ua=
letudine, & similibus incōmodis querentes. Eiusmodi
querelæ proficiscuntur ex corde, quod uel sentit
DEO non esse curæ nostras res, uel succenset Deo,
eumq; accusat iniustitiæ, quod malis sinat bene esse,
bonis male, quod crudeliter nobiscū agat, & uideatur
propemodū delectari nostris malis. Exempla talium

M ij

SCHOLIA PHIL. MEL.

querelarum extant in sacris historijs, Exo. 17. Israëli-
tae exposcunt cū Mose, quòd eduxerit eos ex Aegy-
pto, nec iam credunt se diuinitus eductos esse, nec cre-
dunt se Deo curae esse, id quod indicauit uox illorum,
Est ne Dominus inter nos? Et Esa. 8. Ne dicatis coniu-
ratio. Prohibet enim hoc genus querelas in aduersis
rebus, sed iubet Deo confidere, & ab eo opem & au-
xilium postulare. In eandem sententiam inquit & ca.
30. In silencio & spe erit fortitudo uestra. Sic Paulus
hoc loco praecipit retineri pacem erga Deum, hoc est
semper sentire, quòd bona uoluntate Dei in tale uitae
genus coniecti simus, quòd Deus non adfligat nos ut
perdat, quòd sit opem laturus aliquando pro sua sum-
ma bonitate, etiam si differatur aliquamisper auxiliū.
Et iubet Paulus, ut ea pax tanquam gubernet omnia
certamina nostra. Est enim uerbo graeco usus βαβίλευ
quod significat gubernare certamen.

Gratias age-
re debemus
Deo etiā in
calamitati-
bus.

Addit deinde, Et sitis grati. Iubet enim gratias age-
re Deo, quòd nos in tot calamitatibus tamen non de-
serat, sed defendat, tegat, & gubernet. Etenim nisi à
Deo custodiremur, diabolus abriperet pro sua libidi-
ne singulos quotidie in perniciē, & in teterrima pec-
cata. Nunc quòd uita nostra prorogatur ad pœniten-
tiam, quòd adsunt alia bona, quòd cohibemur, ne ruam-
us in deteriora flagitia, quòd ad pœnitentiam uo-
camur

IN EPIST. AD COLOS.

camur, ut alia multa omittant, nōne hæc in æstimabili
 lia bona sunt, quæ fateri debemus Dei beneficia esse.
 Itaq; præceptum est, Nunq̄ adparebis uacuu coram
 Deo, quod quid aliud est, quàm nos semper aliquibus
 Dei beneficijs uti, quæ agnoscere debemus, et deo gra
 tias agere. Quid enim possumus Deo reddere præter
 commemorationem beneficiorum ipsius. Nec est indi
 gna memoria quædam Gersonis uox, plures esse gra
 tias priuatiuas, quàm positiuas, id est, nisi à Deo custo
 diremur, incideremus in longe maiora mala, id Dei be
 neficiũ latius patere dixit, quàm uel ea ipsa bona quæ
 præterea exhibet.

VERBUM DEI HABITET INTER VOS &c.

Non est contemnendum hoc præceptum, quo fre
 quens tractatio doctrinæ Christianæ præcipitur, sicut
 & Petrus iussit paratos esse ad reddendam rationem
 de fide nostra. Et contra Satanae insidias non alia sunt
 arma, nisi precatio, & pia puraq; tractatio uerbi Dei.
 Sicut docet Paul. ad Ephe. ult. Calceati pedes, et præ
 parati seu instructi Euāgelio pacis, sic inquit, tela ignea
 prauis spiritus depellite. Sed addit, In omni sapien
 tia, quasi dicat, Non satis est habere et tractare uerbũ
 Dei, nisi prudēter etiam tractes, ut alio loco præcepit
 ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Nisi. n. scripturæ uolun

SCHOLIA PHIL. MEL.

statem ex scriptura didiceris, in maximos errores incidēs. Quam procul à scripturæ sententiæ discesserunt seditio- nis Rusticanæ auctores, qui de spiritali libertate loquentem, detorserunt ad ciuilē libertatem. Inde hæreses omnes natæ sunt, quod homines uel parum oculati, uel impij sua somnia ad scri- pturam, non sententiam Spiritus sancti ex scriptura collegerūt. Itaq; Christus etiam iussit, ut scrutaremur scripturas: Et Esaias ait, Ad legem et testimonium, alioqui non erit, inquit, eis matutina lux, quasi dicat, Nisi è scriptura uoluntatem Dei requirant, non posse fieri, quin in maximos errores, et in maxima flagitia incidant. Iubet aut Paulus canere in gratia, id est, sine tumultu, sine confusione, ut aliàs præcipit in ecclesia omnia decore fieri, seu ut eius uerbo uitamur ὁρθο- μόνως.

Canere in corde, et canere spiritaliter, est uere tum per terrefieri, tum concipere consolationem ex ipso Verbo Dei, quod inter tractandum auditur. Nā fides ex auditu est. Docet aut hic Paulus, qui fieri ue- lit in ecclesia, qua de re copiosæ præcepit ad Corint.

IN NOMINE DOMINI IESV &c.

Iubet omnia in nomine Domini facere, quod inter- pretantur, ne quid faciamus contra mandata DEI. Nos enim uelut legatos, decet commissæ à Deo loqui, docere

IN EPIST. AD COLOS.

docere & agere. Et quæ agimus, omnia ad gloriam
 Dei referenda sunt, id est, sentire ac profiteri debe-
 mus, si quid efficimus, Dei auxilio effectum esse, non
 nostris consilijs, prudentia, uiribus. Id enim est reddere
 Deo gloriam, agnoscere quòd uere nos iuuat, ac gu-
 bernet, & nostro testimonio inuitare alios, ut & ipsi
 Deum timeant, & Deo credant. Sed præter hæc, parti-
 cula, In nomine Domini, significat inuocationem,
 ut quidquid gerimus, credamus Deo placere, et roge-
 mus ut ipse gubernet, sicut scriptum est, Reuela Domi-
 no uitam tuam, et ipse faciet. Item, Hi in curribus, &
 hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri
 inuocabimus, id est, alij confidunt uiribus suis, nos cõ-
 fidimus auxilio Dei, & propterea inuocamus eum.
 Sentiamus igitur Paulum, cum iubet nos omnia face-
 re in nomine Domini, præcipere, ut credamus q̄ ue-
 lit Deus regere omnes uitæ casus, omnia consilia,
 omnia negotia, omnia pericula. Quare quidquid susci-
 pimus, auxilium ab eo petendum est. Qui docent, qui
 administrant Respublicas, qui gerunt bella, qui di-
 scunt, qui arant terram, qui artes exercent, p̄c̄stulēs
 à Deo auxilium in omnibus negotijs suis,
 admoniti hoc præcepto Pauli Omnia
 facite nomini Domini.

M iij

CAPVT III

ORATIONI' INSTATE &c.

ORatio est aliud à Deo petere, nam qui ita recitant preces, ut nihil petant à Deo, non orant.

Docuit autem paulus aliàs orare sine ira & sine hæsitatione, quod supra enarrauimus, non debere nos irasci Deo, cum adfligimur. Nam succensent Deo, qui iudicant eum negligere nos, aut uelle nos perdere. Et sine hæsitatione orandum est, id est, uere statuere, & credere debemus, quòd uelit nos exaudire, ac iuuare. Sed hic experimur imbecillitatem nostram, Quis est enim qui ausit adfirmare se exaudiri à Deo? Ita cor humanum fugit Deum, nec audet expectare aliud, nisi pœnas. Atqui contra hanc imbecillitatem erigit nos Verbum Dei multifariam, præceptis, & promissionibus, ut credamus nos exaudiri.

Sunt igitur hæc in oratione consideranda. Primo, præceptum Dei, quod cogit orare, sic enim scriptum est, Petite & accipietis. Item Oportet semper orare. Non igitur ita iudicabis, ideo nihil te oraturum esse, quia sis indignus q̄ aliquid impetres, sed ideo orabis, quia Deus præcepit, ideo credes te exaudiri, quia ipse præcepit

IN EPIST. AD COLOS.

præcepit orare: ut peccatum est cedere facere, ita peccatum est nihil à Deo petere. Pertinet autem hoc mādātum de orando, ad secundum Decalogi præceptū. Utinam intelligant homines quanta consolatio hoc loco posita sit. Certe enim significat Deus se mirabiliter nos amare, & iuuare cupere, cum etiam præcepit ut oremus.

Secundo, considerandæ sunt promissiones, Quidquid peteritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et quoniam promissio requirit fidem, credere debemus nos exaudiri, tametsi nō statim id quod uolumus consequimur. Proinde non absterreat nos infirmitas nostra, quo minus petere à Deo omnia quibus opus est, audeamus. Et quanquā iram ac pœnam meriti sumus, tamen quia nobis propter Christum ignoscit, credamus etiam propter Christum preces nostras accipi. Ideo enim addidit Christus, in nomine meo, ut ostenderet nobis pignus diuinæ promissionis. Christus enim & placat nobis patrem. Est enim Pontifex noster, & testis, ac uelut obses nobis datus est, ut sentiamus patrem uelle nobis opitulari.

Tertio, fides in oratione necessaria est, sicut iam dictū est, qui credamus nostras preces accipi à Deo, Christus enim ait, Quidquid petieritis credentes.

M s

SCHOLIA PHIL. MEL.

Quare illi qui dubitant, utrum placeant Deo, utrum exaudiantur, infœliciter orāt. Cū autem hic maxime sentiamus fidei nostræ infirmitatem, sequi Apostolorū exemplū debemus ac rogare, ut Dominus augeat nobis fidem. Porro fides exercetur, cū nō statim quæ petimus cōsequimur, quare id quoq; in oratione præstandum est, ne abiecta spe, desinamus orare. Nam etiam si non dederit Deus id quod nos nominatim petiuimus, tamen gubernabit exitum periculorū nostrorum. Ideo Paulus hic instare iubet. Et Christus Lucæ 18. inquit, oportet semper orare & nō defatigari, & eam sententiam egregia similitudine illustrat.

IN GRATIARVM ACTIONE &c.

Oratio est proprie, cū aliquid flagitamus, sed sæpe abutimur nomine, ac uocamus orationem, in qua pro accepto beneficio gratias Deo agimus. Cōiunxit hoc loco Paulus orationem & gratiarum actionē. Nam & bona petere à Deo debemus, & cum accepimus, prædicare eius beneficium. Est enim gratiarū actio, agnoscece, q; bona illa, quibus utimur, beneficia sint uere à deo profecta, idq; prædicare apud homines, ut alij nostro testimonio confirmati discant timere Deū, eiq; credere, & glorificare eum, sicut inquit Dauid, Credidi propter quod locutus sum, id est, quia credo me à Deo adiutum esse, ideo prædico eius beneficiū ac testis

FIN EPIST. AD COLOS.

ac testificor, quòd ignoscat nobis, q̄ iuuet nos, Psalm. 49. uocat hoc sacrificium laudis, & docet hunc cultū præcipue à nobis requiri, ut innotescat nostro testimonio Deus apud omnes homines. Sicut pollicetur Propheta, si redimatur, se prædicaturum esse beneficium Dei, Psal. 34. Confitebor tibi in ecclesia magna, & in populo graui laudabo te.

IN SAPIENTIA AMBVLATE.

Communis hoc tempore querela & propemodū iusta est, q̄ prætextu libertatis Christianæ putet sibi uulgus omnia licere, nullis legibus se teneri existimāt & planè tanquàm feræ emissæ è carcere, quo quemq; ducit impetus feruntur. Non seruant fidem pactorum contemnunt auctoritatem Magistratuū, deripiunt facultates ecclesiarum. Quare necessarium est in primis hoc tempore Pauli præceptum, ut sapienter ambulemus erga eos qui foris sunt, ut nostris moribus inuitemus quàm plurimos ad cognitionem Christi. Vere scandala sunt, falsa doctrina, mali mores, & intempèstiuus usus libertatis Christianæ in rebus non necessarijs. De his extat grauissima comminatio, Væ homini per quem uenit scandalum. Est quoddam scandalum, quod uocant acceptum, nos Pharisæicum uocabimus, cum nostris recte factis offenduntur homines iniqui, cuius rei exemplum est apud Matthæū cap. decimo.

SCHOLIA PHIL. MEL

quinto. Tale scandalum esse iudico, quod allegatur sacerdotibus, qui coacti sua imbecillitate uxores ducunt. Nam in rebus necessarijs habemus regulam, ne talibus offensionibus moueamur, oportet Deo magis obedire, quam hominibus. At in rebus medijs, ut uocantur certe prodest diligenter cauere, ne libertate abutamur. Valde enim onerant conscientias suas. qui ab usu libertatis excitant tumultus, augent uulgi licentiam, reddunt inuisam infirmis sanam doctrinam. Vbi autem liceat uti, habemus exempla Apostolorum, qui apud eos utuntur libertate qui eam norunt, praeterea apud Pharisaeos, ut testimonium doctrinae ostendant. Inter ea tamen ut infirmæ multitudini parcant, legis ceremonias unâ cum alijs obseruant.

OCCASIONEM REDIMENTES.

Vtilissimum præceptum est ad retinendam Ecclesie concordiam, ut recte utamur occasione, hoc est, ut suum quisq; officium rite faciat, ut doctores doceant, magistratus dicant ius, ut auditores discant. Nunc contionatores uolunt Magistratibus prophanis leges ferre de decimationibus, de seruitutibus, & similibus rebus. Ita omissa occasione sui muneris gerendi, inuadunt alienum. Cerdores & opifices docere conantur, cum neq; didicerint, neq; accersiti sint ad docendum. Quis autem nescit, quanti ex ea re motus existant

IN EPIST, AD COLOS.

existant. cum homines neophyti docent, qui propter imperitiam recte iudicare nō possunt. Quare Paulus ubiq; præcipit, ut suum quisq; officiū agat. Et 1. Thes. 4. grauissime præcipit, ut non negligenter, sed ambiciose etiam, hoc enim uerbo utitur, demus operam, ut simus tranquilli, & proprias res singuli agamus. Homines ambitione quadam uaria negocia suscipiunt, at Christiani in hoc ambitiosi sint, ne aliena negocia attingāt. Suam quisq; spartam exornare curet, & quia Deo placere suum laborem credit, ideo speret Deum facturum esse, ne labor sit irritus. Neq; potest labor esse scelix, susceptus contra Dei mandata. Quare necesse est illam *τολμηρα γμοσυνη* inutilem esse, cum non uocati currimus. Cæterum, uocationem urgeamus strenue. Hoc significat Paulus cum iubet redimere occasionem.

SERMO VESTER SIT SALE
CONDITVS, VT POS-
SITIS RESPON-
DERE &c.

Quæ non sunt condita sale, sunt insipida, ita sermonem insulsum dicunt, qui non irritat aut delectat auditorem. Christianorum autem sermones debent esse sale conditi, id est, non esse insipidi, sed debent aut consolari mœstos, aut perturbare & obiurgare

SCHOLIA PHIL. MEL.

peccantes, & tentationibus omnis generis mederi,
errantes docere, & reuocare in uiam, hortari cessan-
tes, castigare delinquentes. Neq; enim obscurum est
sale significari Verbum Dei. Itaq; in lege erat, ne qua
uictima sine sale offerretur, quod sine Verbo Dei, bo-
na opera fieri non possint. Itaque & Christus apud
Marcum ait, Habete in uobis salem. Hic uero addit
Paulus, Ut possitis respondere unicuiq;. Supra autem
diximus præcipi nobis, ut Verbum Dei diligenter di-
scamus, ut & nostram conscientiam & alios docere
possimus. Ad præceptum toties repetitum, tamen irri-
dent quidam prophani homines, qui satis esse putant,
toto decennio unam aliquam contionem audisse, & fre-
quentiorem tractationem scripturæ dicunt non ad o-
mnes, sed tantum ad Theologos seu concionatores per-
tinere. Verum sciant pij iuuenes aduersus Diaboli in-
sidias nullum præsidium esse, ut supra dixi, nisi præ-
cationem, & Verbi Dei considerationem, quo excite-
tur cor ad timendum Deum, & ad fidendum Deo, &
omnia spiritalia officia. Ideo Salomon ait, Verbum
Dei esse ignitum clypeum.

Agamus igitur gratias Deo, quod nobis Verbum
suum tam copiose dederit, eoq; beneficio pie utamur,
quemadmodum ipse præcepit. Alioqui accidet his qui
contemnunt, iuxta comminationem illam, Noluerunt
benedi-

IN EPIST. AD COLOS.

Benedictionem, & auferetur ab eis.

*Quod si nossemus huius margariti precium, pro-
fecto uenditis omnibus possessionibus nostris, compa-
rare nobis tam salutare donum Dei cuperemus.*


F I N I S.



HAGANOAE, PER VA-
LENTINVM KOBIA-
NUM. ANNO M. D.
XXXIII.

47 $\frac{17}{b, 20}$

AB 47 $\frac{M}{b, 20}$

X 2199868





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

